



AD BENEVOLOS LECTORES

Alloquitur

HIERONYMUS SILVIUS DE ARAUJO,
Advocatus.



N hujus operis lime, Amplissimi Domini mei, quotquot in toto orbe, vel Judices, seu Advocati fulgetis (neque enim alios suppono hujus libri lectores) ac veluti Sydera relucetis; Consultationes forenses; atque Supremi Lusitani Senatus decisiones promisimus; noram enim optime mea nullatenus vobis placere posse separata, & sic forsitan ferrum auro, argentoque ornabam; ut opus alienis venustatibus speciosum appareret,

Nec sic incipiens, ut Scriptor Cyclicus olim:

Fortunam Priami cantabo, & nobile bellum,

Quid dignum tanto feret hic promissor biatu?

Parturient montes, nascetur ridiculus mus!

Diu, multumque dubitavi, vi-
ri studiis nostris eminentissimi, an
hos libellos, qui mihi subito ca-
lore, & quadam festinandi volup-
tate fluxerunt, cum singuli de si-
nu etiam meo prodiissent, congre-
gatos ipse dimitterem. Opus fane
veluti imperfectum; alias enim de-
cisiones; & graviores quidem; im-
mo etiam consultationes nullate-
nus spernendas conditas servamus;
quin tempus mihi sit eas pro nunc
promere; aliis quippe subitis oc-
cupationibus impeditus vel in to-
tum, opus defererem; vel quod
expeditum habes, edere cogor.
Sed nullus est illustrium adhuc Ju-
risconsultorum; qui non aliquid
operibus suis stylo remissiore præ-
luserit. Quamvis enim; Horatio
teste, opus non omnino castiga-
tum sit reprehendendum.

*Carmen reprehendite, quod
Multa dies, & multa litura coe-
cuit, atque*

Per

Perfectum decies non castigavit ad unguem.

Hoc non habet locum in materia juris; Poetæ etenim non adeo seriis gravantur occupationibus: immo etiam Culicem legimus, & Batrachomyomachiam agnovimus: Celeritate currimus, seu potius volamus, ut libri isti de se probabunt; & quæ hic non edimus, ad opportunum tempus reservamus, his nunc paucis, atque quandoque alienis contenti. Nempe *Interdum tamen, & vocem Comædia tollit,*

Iratusque Chremes tumido deligit ore:

Et tragicus plerumque dolet sermone pedestri

Telephus, & Peleus, cum pauper, & exul uterque

Prijuit ampullas, & sesquipedalia verba.

Addo, quod Poetæ debent esse eminentes; opera autem juris mediocria pandere fas est.

*Consultus juris, & actor
Causarum meiocris abest virtute
diserti*

Messalæ, nec seit quantum cascellius Aulus:

*Sed tamen in pretio est. Mediocribus
esse Poetis*

*Non homines, non Di, non conces-
sere columnæ.*

Suscipite ergo hanc secundam partem laboris nostri, & contenti paucis decisionibus; atque consultationibus, animum laudate; sic enim cætera dabimus.

*Ordinis hac virtus erit, & venus;
aut ego fallor,*

*Ut jam nunc dicat, jam nunc deben-
tia dici*

*Pleraque differat, & præsens in
tempus omittat.*

Nec quis miretur, quod inter alienas venustates, atque aureas decisiones nostra dicta, & sententiæ appareant; sicque in publicum

audax exeam; præterquam enim audaces fortuna juvat; ut olim cecinit Poeta; non solum Syderibus datum est currere; sed etiam paleis volare.

*Sæpe etiam stellas, vento impenden-
te, videbis*

*Præcipites Cælo labi, noctisque per
umbras*

*Flammarum longos a tergo albes-
cere træctus:*

*Sæpe levem pateam, & frondes vo-
litare caducas;*

*Aut summa nantes in aqua collude-
re plumas.*

Aura ergo vestra nostrum quod est suscipite iterum; & clementer parcite; sic enim humilis author volabit, qui alias

*Serpit humi tutus nimium, timi-
dusque procellæ.*

Si vero in opeis principio grandia serimus, & absolute vobis non apparent fructus in totum promisi; hoc etiam novum non est.

*Grandia sæpe quibus mandavimus
hordea sulcis*

*Infelix folium, & steriles dominan-
tur avenæ*

*Pro molli viola, pro purpureo nar-
cisco*

*Carduus, & spinis surgit paliu-
rus acutis.*

Valete ergo, iterumque parcite; ut poitea, si tempus, curaque finant, aliquid melius edere possim; nostraque agrestis fane Sylva auxilio veistro fiat fructuosa: Nec tamen erubuit Sylvas habitare Thalia. Quisquis tamen sim,

*Stant, & Juniperi, & Castaneæ
hirsute:*

*strata (jacent passim sua queque
sub arbore poma:*

Omnia nunc rident.

DECISIO PRIMA.

Late agitur de alienatione rerum Ecclesiae. De constitutione Urbani 8. Super his alienationibus fermo eit; & de omnibus in materia copiole videbis, ac de aſtensu Pontificis præſumendo.

SUMMARIUM.

Hæc decisio habet doctrinas excellentes, & valde controversas. Diversæ in hoc processu fuerunt Sententia, judicia sua emendarunt Patres Lusitani disertissimi. Quilibet numerus copiosis claudi ur mate iis; & non est animus de his texere Summa ium; pro Summario enim volo omnia legas; præcipue quando de alienatione rerum Ecclesiae habeas controversiam. Quando dubites: Utrum E^t avag. Ambitiosa fuerit recepta in his regnis? De Constitutione Urbani 8. De præscriptione quadragenaria, & an aq^{ui}paretur immemoriali in omnibus, & per omnia Contra quos fuerit illa Constitutio Urbaniana specialiter promulgata? Utrum procedat in contractibus utilibus Ecclesiae, vel solum in damnos? Quando beneplacitum Apostolicum in materia subjecta sit præsumendum: Hæc, & alia plura usque ad n. 19. lege, & perlege; digna enim decisio est, que semper in memoria sit.

Sentença do Corregedor.

I **V**istos estes auttos, libello das AA. a Prioresa, e mais Religiosas do Santissimo Sacramento desta Cidade, contrariedade do R. Jozè Cyabra de Freitas, prova, e documentos juntos, por parte das AA. se mostra, que fendo o

ſeu Mosteiro Senhor, e possuidor de dois casaes com suas pertenças chamado hum o monte dos coelhos, e outro das figueiras, situados entre Salvaterra, e Benavente, os deraõ suas antecessoras de emprezamento em vida de tres pessoas em 11. de Outubro do anno de 1665. a Pedro Cyabra de Freitas, e a Pedro Gomes Rico com as penções declaradas em seu libello, como se vê das escrituras fol. e fol. Allega-se que nestes contratos naõ tivera o Mosteiro utilidade, antes grande detimento; por serem as penções mui tenues a respeito dos muitos fructos, que produzem os casaes; e sobre tudo para se emphiteuticarem, naõ houvera consentimento Apostolico, nem se devia presumir, sem embargo da diuturnidade dos contratos, por serem para isso necessarios cem annos; àlem de que contra o lapso do tempo compete às AA. a restituição que imploraõ, e assim foraõ nullos os emprazamentos. Mostrase que o R. està possuindo os dittos casaes, sem ter outro titulo; pelo que deve ser obrigado a largalos a o Mosteiro das AA. com os frutos, naõ só do tempo, que os possue, mas tambem os que perceberaõ seu Pay, e Irmão, possuidor que foraõ delles, como seu herdeiro. Defende o R. com o dedusido na sua contrariedade. Oque tudo visto, com o mais dos auttos, disposição de direito neste caſo, conforme ao qual, ainda que para se alhearem os bens ecclesiasticos, quaeſão os de que se trata, por via de emprazamento; seja necessaria autoridade apostolica, e constar se rem as alheações uteis aos senhorios, e sem iſſo ſejão os contratos nullos, como se practica neste Reyno, com tudo tendo os taes contratos observacia por eſpaço

de quarenta annos, se presume não só a utilidade, mas também o contentimento Apóstolico, por ser esta solemnidade extrinseca, mayormente quando nos instrumentos dos contratos se não acha clausula, que exclua a ditta presunção: pelo que mostrando-se por petição do R. que por si, e seus antecessores ha muitos mais annos estão de posse dos casas, de que se trata por virtude dos enprazamentos, que as Antecessoras dos AA. lhes fizeram, concorrendo-lhes sempre com as penções mencionadas, que se recebiaõ tem contradicção, deve presumirle, que o seu convento teve utilidade naquelles contratos, e que para se celebrarem houve consentimento Apóstolico; pois ainda que se não ache inserto nos instrumentos delles, da sua inspecção se não prova, que separadamente não interveyo, e assim não fica tendo lugar a reivindicação intentada; por tanto absolvem ao R. do pedido no libello das AA. que pagaram as custas dos auttos: Lisboa 5. de Fevereiro de 1713. Francisco de Almeyda de Britto.

- 2 Fuit pro parte Monialium gravamen interpositum ad Senatum, & sententia in illo revocata per vota sequentia quorum.

Primum.

3 **S**umus in satis trita decisione Extravag. *Ambitiosæ*, de rebus Ecclesiæ non alienandis, & ne tempus multis aliis processibus non satius adæquatum minus apte impendamus, sic per multa, quæ eleganti calamo adscripta sese offerrunt a doctis Advocatis, in hoc iurgio, pertransimus; pergitus enim ad punctum, in quo consistit cardo rei, nostro videri; & oh utinam veritatis scopum, quæ in

pauci, consistit, colimemus!

De Paulina prohibitione in prædicta Extravaganti *Ambitiosæ* non datur hæsitare, qua cavetur, ne bona Ecclesiæ, & Moderiorum, inconsulto Romano Pontifice alienentur; & in contrarium ditractiones irritæ discernuntur. Meritissimus Curialis Praeses de hoc non dubitavit in hypothesi praesenti, sed docissime recurrit ad temporis diuturnitatem ultra quadragenariam, quam dicit validam ad inducendam præsumptionem, quod sanctæ sedis Apostolicæ de licentia fuisset facta emphiteutatio, de qua agitur; licet enim de ista licentia in instrumento non constat, bene poterat, prout considerat, existere separatim, & ex longa annorum serie decursa præsumi veniebat extitisse. Parcat tanti Domini authoritas; non scilicet alius mihi evolare est datum: Placide licentia sedis Apostolicæ in his terminis est de forma requisita a lege in Extravagant, supradicta; & forma non potest per æquipollens adimpleri: *L. qui per salut. ff. de jurjur. l. 3. §. fin. cum duob. seqq. ff. eod:* ergo licet præsumptio æquiparetur Scripturæ: *L. quicumque cod. de epoch. publicis lib. 10.* non sufficit ut peræquipollens factis factum sit legis formæ, quæ ad unguem veniebat observanda: *L. non dubium cod de leg. L. si Præf. ff. de transact;* & notum est, quod quasi tale non est tale. Ulterius: non entis, & non apparentis idem est judicium: quomodo ergo venit præsumendum quod extitisset quod non appareat ex actis, & præcise, ut haberetur pro existente, debebat apparere? Et si validior præsumptio tollit aliam minus validam, longe validior est præsumptio non facti, quod non probatur factum, quam facti præsumpti, quando non præsumuntur

tur facta , nisi probentur : *L. asseveratio cod. de non numerata pecun. cap. Cum Joannes §. ver. de fide instrum.* Nec proficit temporis lapsus longinqui ; aut præscriptio ; quia præscriptio etiam longissimi temporis cum mala fide non procedit de jure canonico , cui standum est in materia peccati : *DD. in L. sequitur §. si viam ff. de usucap.* & licet titulus minus justus det materiam præscribendi , hoc intelligitur , si error est in facto , non ita quando error est in jure , *Anch. conf. 443. n. 18.* prout in illo casu , ubi legalis est prohibito , & de licentiæ defectu evidenter constabat ex documento retento ; quia ubicumque quis vult fraudare præscriptionem suam super titulo , qui titulus repugnat præscriptioni ex ejus lectura , nunquam habet locum præscriptio , quantocumque tempore duraverit ; quia necessario est in mala fide ex lectura tituli : *Tuscb. pract. lit. p. c. 521. n. 35.* ex quibus Meritissimi Præsidis sententiæ assenti ri non possum , & eam judico revocandam. Ulis. 9. Sept. 1715. Saa.

Secundum votum.

Post Sententiam , per quam virtute Bullæ Pontificiæ , supplicantium monasterio contentio nis prædia sunt unita , bona esse ecclesiastica dubitari jam non potest , ex doctrina *Gamæ d. ultim. n. 4. in fin.* quem laudat *Macedo d. 113. n. 4. Rebuffus in prax. benef. tit. de unione n. 49. & sequentibus , Sabelli cum aliis in summa diverg. §. unio n. 7.* ac ita fatendum est , quod ut in emphiteusim darentur , & causæ , & solemnitates a canonico jure requisitæ intervenire debebant ; quæ recensentur apud *Castill. de usufruct. c. 54. a n. 10. Hermosillam ad l. 15.*

tit. 5. p. 5. glossa l. ex n. 34. *Fariam ad Cov. var. lib. 2. cap. 17. a n. 2.* Utrum intervenissent , vel ex observantia temporis longissimi eorum interventus præsumendus sit ? Tota est quæstio ; & quia admissa etiam opinione tenentium , quod decreta *Extravag. ambitios. de rebus ecclesiæ non alien;* nec sacræ congregationis concilii sub Urbano Pontifice nominis octavo , res immobiles ecclesiæ alienare non impediunt absque summi Præfulis consensu , dummodo in alienationibus communis juris requisita observentur , ut cum *Navarro , Molina , Rebello , Fragojo , & aliis defendit Pinheiro de censu disput. l. sect. 5. §. 1. a n. 47.* necessario probandæ a Reo erant justæ emphiteuticationum causæ , & prædictæ solemnitates ; ad præsumptionem recurrit Pontificii consensus , qui easdem solemnitates supplet , & obtentus intelligitur non nullorum in sententia post triginta annos Doctores apud eumdem *Hermosill. n. 85. & 86. & coram Altimario de nullitate contract. rubric. l. p. 5. q. 43. sect. l. n. 208.* Sed ejusmodi præsumptione admissa , de causa adhuc inquirendum supereft ; hæc enim per assentum Pontificium justa non fit , neque tempore longissimo præsumenda est , quin immo si non constet , alienationes erunt nullæ , non obstante dicto consensu : *Redoan. de rebus eccles. non alien. q. 22. n. 71. & 72. & q. 30. n. 11. Fontanel. de pact. nuptial. claus. 4. glos. 12. n. 19. & 20. ubi n. 21.* id limitat casu , quo consensus cum cognitione causæ , & audita parte præstetur : *Hermosilla eos , aliosque referens in citata glos. l. leg. 15. n. 86.* Perquisitis igitur earumdem emphiteuticationum causis , nullam utilem invenimus , attento etiam contractus tempore , ut advertunt lau-

dati per Hermosillam *supra* n. 31.
 & 32. nam prædia inculta, aut
 dumosa non erant, vel talia esse
 non probatur; & plus commodi
 monasterio afferre poterant, re-
 tento utili dominio, quam in em-
 phiteusis concessa; quapropter ex
 defectu causæ irritos contractus ju-
 dicarem, condemnato supplican-
 tum adversario ad prædiorum res-
 titutionem cum fructibus a con-
 testatione litis per notata a *Vela*
dissertat. 38. n. 97; & seqq.
 Uly. 30. Novemb. 1715.

Tavares.

Terrium votum.

6 **C**um alienatio rerum Ecclesiæ,
 quales istius contentionis sunt,
 uti bene, & de more advertit sa-
 pientissimus secundus Dominus in
 suo doctissimo suffragio in princi-
 pio cum Gama, Maced. Rebuff;
 & Sabel; omni sit jure prohibita,
 de jure Cæsar, in auth. *hoc jus por-*
rectum cod. de Sacrosanct. Eccles.
de jure canon. in *toto tit. de rebus*
eccles. non alien; quia humanæ
 conventioni Ecclesiæ nullatenus sub-
 jectæ sunt, ut notat *Afflict.* d. 17.
 n. 1. & ibi *Cæsar Ursil.* Idcirco qui
 in contractu alienationis rerum Ec-
 clesiæ se fundat, non solum debet
 eum contractum probare, ut de-
 clarat *Bellamer.* in *conf. 33. col.*
13. in fin. v. quoad secundam diffi-
cultatem, Rebuff. in tract. alien.
rer. eccles. n. 10. ad fin, & alii;
 sed ne corruat; ait valeat contra-
 etus, duo debet conjunctim pro-
 bare, solemne scilicet illud a jure
 requisitum, & necessitatem, aut
 utilitatem Ecclesiæ, ut pro verio-
 ri, & communiori opinione ex *tx.*
in Clem. 1. de rebus eccles. non a-
lien; & aliis tenet *Mascard. de*
probab. c. 75. a n. 1. ubi plures lau-
 dat. *Fontanel. de pact. nupt. claus.*
4. glos. 13. n. 8. & 9. Molin. de jus-

tit, & jur. tract. 2. disput. 468. n.
15. Hermosill. ad l. 15. glos. 1. tit.
5. p. 5. a n. 20. Et en receptissi-
mum, quod hæc duo, solennitas,
 & causa copulative in tali aliena-
 tione requirantur, ut ex pluribus,
 quos ibi laudat *n. 21. Boss. tom. 3.*
moral. tit de alienat. bonor un. §. 3.
*n. 44. & apertius colligitur ex *Ex-**
travag. Ambitios. de rebus Eccles.
**non alien;* quia licet non sine du-*
bio transeat, an in usu sit, ut per
 DD. quos cumulat *Hermosill. supra*
n. 96. & alios; attamen quoad a-
 nullationem alienationis ultra trien-
 nium in hoc regno contraria opini-
 o est receptior, ut ibi ex mul-
 tis *in v. ex quibus, Gam. d. 290.*
n. 2. Pereir. d. 95. n. 9. August. Bar-
bos de potest episcop. p. 3. allegat.
45. n. 49. ad fin.

Videamus nunc, si aliquid ex
 his deficit in concessione nostræ
 emphiteusis, quæ appellatione a-
 lienationis venit, ut aperta jura
 sunt in *auth. de non alien;* & per-
 mut. *rebus eccles. §. non igitur v.*
alienationis autem, Fontanel. de
pact. nupt. d. claus. 4. glos. 13. n.
1. & 4. & alii. Aut si non omne eit
 completum, uti jura requirunt,
 ut negotium tanti ponderis grata
 Deo justitia deliberemus.

Certe Papalis consensus deest,
 qui necessarius fit ex dicta Paulina
Ambitiosa; ut ita sentiunt *Tambu-*
rin; Less. Loym; hanc affirman-
 tes tutiorem esse sententiam, &
 practicablem in Curia: *Quaranta.*
 & *Bonacina relati a Pinheiro de cen-*
su disp. l. sect. 5. §. 1. n. 46. Boss.
tom. 3. moral. tit. 18. de alienat.
bonor. eccles. §. 2. a n. 40. & §. 6.
n. 292. Gales in commentar. ad consi-
tit. Urbani 8. n. 138. & alii, etiam
 in Regularibus, tum ex dicta Consi-
 tit; quam ex vi dictæ Paulin. *Cyar-*
cin. for. lib. 1. c. 105. n. 119. August.
Barbos. de jure eccles; dictam consi-
 tit. transcribens *lib. 3. cap. 30.*
num. 15. De-

9 Deinde visis testibus, documentisque in actis adhibitis, utilitas Monasterii AA. a jure requisita tempore emphiteutica ionis, quod scilicet res in emphiteusim concessæ plus incommodi, quam utilitatis attulissent, vel quod bona essent aquosa, sylvosa, sterilia, inundata, & infrustruosa, ut cum aliis tenet *Hermosilla ad d. l. 15. n. 29. 30. & 31* minime a R. probetur, ut illi incumbebat, & quod manifesta fuisset Monasterii utilitas, ex qua patenter melius, & locupletius factum fuit, ut ex multis *August Barbos. d. lib. 3. cap. 30. n. 15. & 17.* quia R. alienationem rerum Ecclesiæ defendit, in qua AA. habent regulam pro se, uti perbene *Fontanel. supra n. 6. 7. 8. & 9.* Contrarium immo ex actis patet. Succumbat ergo R. solvante fructus a contestatione litis ex allegato *Vela.*

10 Nec obstat dicere res Ecclesiæ posse in emphiteusim libere concedi, aliqua interveniente ex dictis causis cum antiqui juris solemnitatibus, alio S. Præfulis consensu minime requisito, ut tradunt *Cald. de renovat. emphiteus. q. 15. n. 15. & 16. Pereir. d. 22. n. 8. cum seqq. Pinheir. de censu 1. p. disput. 1. sect. 5. §. 1. n. 49.* Et quod ex temporis diuturnitate spatio 30. au 40. annorum semper præsumi debebat, quando foret necesse intervenisse, ut est multorum de mente.

11 Quia respondetur facilime, quod etiam dato, Papalem consensum non fore necessarium, posseque ex dictis præsumi, si de eo cogitare opportet, semper R. prædictam alienationis causam erat adstrictus probare, quod nullatenus fecit, nec ex præsumpto Apostolico beneplacito, licet ceteræ suppleantur solemnitates, alienationum causæ supplentur, sicut nec ali-

quo quantumvis longiori temporis cursu interfuisse præsumuntur, cum id foret justificationem, & substantiam tituli præsumere: cum pluribus *Fontanel. a. claus. 4. glos. 13. p. 1. n. 19. 20. & 21. & post eum Hermosilla ad d. l. 15. glos. 1. n. 85. & 86. Gales. in commentar. ad d. constitut. notabil. 14. n. 145.* Ultra quod omne sublatum mihi dubium est per Bullam Urbani 8. in *Bullar. nov. Constit. 157.* ex DD. quos laudat *Altimar de nullitate contractus tom. 7. rubr. 1. p. 5. q. 43. n. 232. & 233.* ubi etiam quod non officit præscriptio, si non est centenaria, & post eum *Gales. supra notabili 3. a n. 39.* Hæc est mens mea. Uli. 15. Junii anno 1716.

Oliveira.

Sic fuit revocata sententia, scriba Henrico Soares Ribeiro. Potest tamen in melius reformata per vota sequentia, quorum primum lege.

Votum prim.

IN alienatione rerum Ecclesiæ copulative requiruntur solemnitas, & causa: *cap. 1. de reb. eccles. non alien. in 6. Rota d. 300. n. 1. auth. hoc jus porrectum cod. de Sacros. eccles. Fagnan. ad teux. in cap. nulli de rebus eccles. n. 7. Barbos. de univers. jure eccles. lib. 3. cap. 30. n. 12.* Quoad solemnitatem pertinet, licentia sanctæ sedis Apostolicæ, quæ intervenire debebat in emphiteusi non solita emphiteuticari: Extravag, ambitios. de rebus Ecclesiæ non alien; quoad causam, inter alia requiritur utilitas Ecclesiæ; & quod utilitas sit evidens, & plus recipiat, quam demittat Ecclesia in contractu peragendum: *August. Barbos. de jure eccles. d. lib. 3. cap. 30. a n. 15. & vot. 3. n. 21.* adeo ut prædicta utilitas probanda sit; non enim sufficiat.

sufficit alienantis assertio: Bartol. in l. si fact. ff. castr. pecul. Roland. conf. 15. n. 9. lib. 1. Caroc. d. 52. n. 4. August. Barbos. d. cap. 30. n. 15. & vot. 30. n. 21.

13 Plane: in hypothesi, de qua agitur, invenimus, quod maiori censu emphiteuticatio præposita fuit acta, quam mercede locatio a D. Cosma, earum rerum, iisdem circiter annis peracta; & ita patet, si attendantur instrumenta utriusque contractus; & a D. Cosma in Monasterium acriticum pertransivit dominium rerum istarum. Vitis itaque instrumentis fol. & fol. ex quibus differens de mercede locatæ ad centum emphiteutis sit augmentum, venit considerandum, quod maior utilitas provenit ex emphiteuticatione cum pensione certa, quam recipiebatur ex cultura agrorum cum incertitudine fructuum propter laborem, & dispendium, & temporis inconstantiam cum mille aliis incommodis antequam in horreum recondantur messes, & in pecuniam redigantur, & si hæc consideratio diminuit valorem rei; ita pariter considerandum pro emphiteusi in censu certo, & uniformi, in laudemis, & intrantiis adventitiis, nullo fabricæ dispendio, nullo labore collectis, & absque meliorationibus comparatis; quæ omnia utilitatem important, & valorem adaugent ipsius contractus emphiteuticantibus: *Castr. in prax. lib. 4. p. 2 n. 93. & 37. Vaz alleg. 79. n. 8. Salgad. in labyrintho p. 3. cap. 11. Nigr. 4. p. cap. 159. Menoch. conf. 1021. n. 5. gam. d. 37. num. 3.*

14 Quoad licentiam Apostolicam non patet ex instrumentis contractus, de illius concessione, & interventu; sed cum posset ex alio instrumento constare, & necessario diverso esset instrumento monstran-

da concessio, & ultra sexaginta efluxissent anni, antequam controverteretur, venit præsumenda, *Gam. d. 49. n. 3. et d. 83. n. 1. & d. 332. n. 2. Phæb. d. 82. n. 35. Mafcard. c. 75. n. 14. Surd. conf. 28. n. 15. Fontanel. de pact. nupt. claus. 4. glos. 13. p. 4. n. 14:* accedit receptio pensionum, & repetita tituli concessio per renovationem, & venit præsumenda non solum ratificatio, sed probanda, arguento textus *in l. pro herede §. Papinianus in fin. ff. de acquir. horred;* ut post Cravet, Roman. & alios tenet Ciriac. contr. 441. n. 34. Unde reus, & ejus antecessores præscripserunt adversus monasterium dominium utile, & jus emphiteuticum cum prædictis emphiteuticationis, & ratificationis titulis, longæaque sexagenaria possessione, cum adversus Monasterium sufficeret quadragenaria cum titulo: *Cald. de renovat. q. 15. n. 16. Mart. de jurisdict. p. 4. ant. I. c. 48. Alex. Trentacing. var. resolut. lib. 2. tit. de integr. restituione resol. 1. p. 160. Odoard. Cald. de errorib. pragmat. lib. 4. c. 5. 6. & 7. cov. in regula possessor p. 2. §. 2. n. 3. Barbos. in auth. quas actiones n. 3 cod. de Sacrosanct. eccl. Phæb. d. 82. n. 4.*

Obstare tamen videtur fortiter ad supradicta, excludens præsumptionem longissimi temporis in materia alienationis bonorum ecclesiæ, dummodo non sit centum annorum, constitutio Urbani 8. edita anno 1641. per quam sublatum fuit beneficium præsumptionis illud longissimi temporis, & solum admissa centenaria completa, ut testatur Cardin. de Luc. p. 2. de alienat. disc. 1. lib. 7. n. 94. Blas. Altim. de nullitate contract. rubric. 1. p. 5. q. 43. n. 232. Sed ultrquam hoc non ad alienationes privatas fuit dispositum, sed adversus

Votum secundum.

sus Principes, & potentes, ut ipse de Luca audisse se deponit a pluribus, qui in ea edenda constitutione participationem habuerunt, & ad jura Romanæ ecclesiæ tendere videretur. Cum tamen Rota ad alias ecclesiæ extendisset constitutionem prædictam; prout recognoscit idem de Luca, restat vide-re, an nostram excludat considerationem in hac materia pro sexagenaria, ut diximus?

16 Et quod non excludat, videtur consentaneum; quia ultraquam centenaria præscriptio est propria ecclesiæ Romanæ: *Barbos*; qui multos refert in *auth. quas actiones cod. de Episcop. & cleric. n. 5.* extensio ex maioritate rationis non conceditur in correctoriis, prout notat idem *Barbos*. ibidem n. 8. & talis constitutio est correctoria juris ordinarii quadrigenariam ad-mittentis, & non venit extendenda. Deinde: *Altimarius*, ubi supra, n. 238. recognoscit, & affir-mat dictam constitutionem non comprehendere universum Orbem, & quod non habet locum in regno Poloniæ; nec nobis datum fuit in-venire, quod in nostra Lusitania acceptationem, & executionem ha-buisset, nec nostri, quos vidi, de ea loquuntur.

17 Unde meo reformato judicio, sententiam, quam protulimus pa-riter reformandam dicens, & con-firmato placito sapientissimi, ac semper venerandi Collegæ, qui meliori fruitur ævo; nec R. cum Marone lugeat de labore, & sumptibus, impensis, aliis, & non si-bi frugiferis, dicendo. Sic vos non vobis melificatis apes. Sic vos non vobis velera fertis oves. Ulis. oc-cid. 1. Aprilis 1718.

Sæa.

C Onstitutio Urbani 8. de qua 18 Late *Galesius* in tractat. de restit. in integr. peculiariter, & ex professo egit, in Ecclesiæ præ-judicialibus, non in utilibus lo-cum habet, ut advertit idem *Ga-lesius* n. 44. *Pacionius* allegat 133. n. 12. *Panimolti* d. 60. a n. 39. Un-de si constet, quod præjudicialis non fuit alienatio Ecclesiæ, dicta Constitutio non procedit, & subintrat eorum opinio, qui docuerunt be-neplacitum Apostolicum triginta annorum cursu præsumi, ut pro-bavi ex Hermosilla, & Altimario in suffragio primo, ubi cauſam tan-tummodo defecisse dixi. Sed nunc per excipientem probatam esse in-venio, & quod emphiteuticatio nullum attulit Monasterio præjudi-cium; quin immo utilitatem con-tulit, stante maxime *Ord. reg. lib. 2. tit. 18. §. 1.* quæ licet permiserit, quod ecclesiis stabilia pro anniver-sariis relinquantur, inde non se-quitur ea posse retinere in per-petuum, ut voluit *Oliva de foro ecclæs. I. p. q. 28. n. 68. & 69.* con-trarium enim verius existimo, & quod elapso tempore ab ipsa lege præscripto, dicta bona tenentur demittere per notata a *Gabriele Pe-reira de manu Regia in concordiis n. 94. 202. 213. & 260.* Neque si-bi adversatur *cap. mihi 64. n. 19.* ut Monialium inquit Patronus; nam ibi retentionem ultra annum, & diem non concedit, sed acqui-sitionem in forma concordiæ, scilicet ad dimittendum: bene *Por-tug. de donat. Reg. p. 2. cap. 43. n. 54. & n. 77.* Ex quo fluit solemnitatibus opus non esse, ut ultra *Barbos. & Peg.* ab ipsisque laudatos ad d. §. 1. & ad §. 7. docuit *Alt-i-marius ad Rovitum cons. tom. 3. obs. 53. n. 22.* Propterea cum præ-cedente

cedente Domino Sapientissimo con-
venio: Ulis. or. 14. Julii 1718.

Tavares.

Votum tertium.

- 19 Quæ de novo emergunt, novo
indigent auxilio. Hoc a Sapientissi-
mis Dominis doce, & erudite da-
tum rem adeo claram constituit,
ut alio non indiget, & tolum in
obsequium veritatis eidem me sub-
scribo. Ulis. Occid. 18. Septen.b.
1718.

Cliveira.

Fuit postea petita revisio, quam
ipse ego impugnavi, & tandem
cœnegata unanimiter.

DECISIO SECUNDA.

Ex facto narrato illico, & in prin-
cipio, illius materiam, & deci-
sionis tubitantiam collige. Alter:
Qualis actio, & an aliqua mihi
competat quando meus pro-
curator rem vendidit meam, quin
hec exprimeret in actu ven-
tationis? An in in tertium.

SUMMARIUM

- 1 Proponitur factum, quod in il-
la vide, & nota.
- 2 Mandatum ex raijudiciale suf-
ficienter præsumptionibus proba-
ri hic contenditur.
- 3 Qui virtute mandati contra-
etum celebrata, non sibi, sed
mandatario acquirit, licet scri-
ptura celebetur sine qualitate
procuratoris; & sic nomine pro-
prio.
- 4 Idem probatur.
- 5 Pretium succedit loco rei.
- 6 Actio subsidiaria in his termi-
nis exponitur ad repetitionem; &
tu vide.
- 7 Quamvis actio regulariter non
acquiratur tertio, limitatur hoc

in stipulazione super re mea; &
sufficit ad hoc mandatum tacitum.

- 8 Contenditur mandatum non pro-
bari præsumptionibus; quia est
factum, & res extrinseca.

- 9 Venditio censetur celebrata no-
mine proprio: Quilbet actus
in dubio præsumitur celebratus
nomine proprio. Qui cum uno con-
trahit, sortassis non vellit cum
alio contrahere.

- 10 Actiones sunt solum reciprocæ
in his terminis inter contrahen-
tes.

- 11 Vide, & collige ex facto.

- 12 Quamvis nobis actio per nos-
tos procul atores acquiratur,
non habet locum locum, quando de
mandato non censiat.

- 13 Per liberam personam nolis a-
ctiones direcole acquiri non pos-
sunt.

- 14 Mandatum requirit consensum
ut inque partis: Inter ab-
sentes solum per nuntium, & epis-
tolam contrahitur: Mandatum
debet esse acceptatum, & suscep-
tum.

- 15 Prætoris Sententia.

- 16 Votum primum in Senatu con-
tra Prætoris sententiam.

17. 18. 19. Pro quatuor. Omnia di-
ligenter notabis.

- 20 Votum secundum pro Sententia
Prætoris.

- 21 Etiam tertium.

- 22 Juramentum calumniae requiri-
tur in forma legis: Ad juran-
dum requiritur mandatum spe-
cialissimum, & debet facere ex-
pressam mentionem cause in ju-
dicio ventilandæ.

- 23 Quando ob hoc causa non retar-
detur, hic vide: Laudatur D.
D. Ignatius de Almeyda Maya.

1
F Actum, a quo præsens decisio
fuit oriunda nostro idiomate
propositum sic te habet: Nicolao
JoantzechVeneziano, e que costu-
mava

mava negociar para varias partes de Europa, remeteo dois espelhos de grande preço da Cidade de Veneza, para esta de Lisboa, a Joao Artuzazo, e depois do referido lhe ordenou que os entregasse a Lourenço Cortinovi: Este os recebeo do Artuzazo por conta do Joanizoch, e para os vender como deseje, e lhe entregar o seu producto; e disto deu recibo ao Artuzazo, o qual se juntava nos auttos tradusido em Portuguez, da Lingua Italiana. Depois do referido vendeo o Cortinovi os espelhos por huma grande quantia a Nicolao Neri, e lhe facultou espera do dinheiro, mediante cujo tempo morreo o tal Cortinovi, e sendo a este credor Faustino Lopes, e alcanzando sentença contra seus herdeiros, succedeo bir fazer penhora no dinheiro, que estava na mão de Nicolao Neri, e finalmente o cobrou. Acrescia, que quando o Cortinovi vendeo, não declarou ao Neri de quem eraõ os espelhos, mas como seus; e assim em todos estes actos não constava do dominio do Veneziano, que os remeteo, o qual tanto que soube ser falecido o Cortinovi, e de todo o referido certificado, vejo ao juiso do Conservador dos Italianos, dizendo que aquelle dinheiro era producto dos seus espelhos, e que se fora presente, e sabedor daquella execução do Faustino viria com embargos de terceiro senhor, e possuidor; pois a sua fazenda, ou o seu dinheiro subrogado não estava obrigado a dívidas alheyas, e que como não fora sabedor, queria repetir a dita quantia, que notoriamente lhe pertencia.

³ Contestata fuit per negationem a me lis pro parte Faustini, & tandem deventum est ad merita, & allegationes; ubi pro parte Joanizoch acriter insurgebat ejus Advocatus, dicendo quod Cortinovi

in illo actu venditionis fuerat merus procurator sui constituentis, cuius mandatum extrajudiciale sufficienter poterat probari præsumptionibus, ad quod allegabat Card. de Luc. de judic. disc. 6. n. 5. alter. de Luc. ad Golin. de procurat. p. 3. cap. 3. n. 9. Vell. dissert. 38. an. 43. Altim. tom. 5. denullit. q. 31. n. 105.

Atqui quoties aliquis virtute mandati contractum celebrat; non sibi, sed mandatario acquirit, & hoc licet Scriptura celebretur fine qualitate procuratoris, & obligatio sit isti expressa celebranti, ut est tex. in l. 4. §. unde queri potest ff. de manumis; l. qui in alen. §. isqui putabat ff. de acquir. hered. 1. pignor. §. fin. ff. de usucap. & est Bartoli doctrina in d. §. si is qui putabat. Nogueiro. alleg. 20. n. 36. ibid. secundus casus sit, quando contractus, aut mandatum speciale ad emendum officium, seu feudum certum præcessit, tunc enim specificatio rei operatur, ut ejus dominium constituenti acquiratur; eo ipso quod Procurator emit; etiam si nomen suum proprium adscribat. ergo poterat repetere Joanizoch illam pecuniam.

Atque idem probatur a Vell. dissert. 38. sub n. 25. ibid. Quod si præcedat mandatum alicujus de aliquo faciendo, & tu facias postea, licet non exprimas te facere nomine illius, tamen præsumitur quod nomine illius feceris. Late Golin. de procurat. p. 5. cap. 1.

Et illud mandatum ad talem venditionem fuerat speciale, & cum Joanizoch esset dominus speculorum, pretium succedit loco rei: l. vendor ex ff. depet. hered. ⁵

Et dicebat prædictus Advocatus, quod quamvis sine cessione Cortinovi actio non competenter Joanizoch sufficiebat, quod jam non existet Cortinovi, & decessisset, tunc enim dabatur subsidiaria ad repetitionem ⁶

tionem prædictæ pecuniaæ ex tex.
in l. damni. 18 ff. §. fin. ff. de dam-
no infect. l. 5. ff. de præt. stipulat.
l. 1. in. fin. & l. 2. ff. de instit. a &
Cost. de remed. subsid. remed. 91. per
tot. cum plurimis Olea de cess. juris
tit. 4. q. 9. n. 5. ibid. Quæ licet ita
se habeant, in aliquibus tamen ca-
sibus ex contractu procuratoris, ins-
titoris, vel negotiorum gestoris u-
tilis actio citra cessionem nobis com-
petit. Primo, quando Procurator,
Institutor, vel negotiorum gestor, aut
abesset, vel deceſſisset, aliter
que domino consultum esse non potest.

7 Et quamvis actio regulariter
non acquiratur tertio, limitatur
hoc in stipulatione super re mea.
Mantic. de tacit. & ambig. convent.
lib. 14. tit. 28. n. 38. & vel manda-
tum tacitum sufficiebat: *Grat. for.*
cap. 68. n. 20. Amator resolut. 7.
n. 13. Hoc pro parte actoris ele-
ganter dicta fuere ab ejus Advo-
cato Joseph Lopes Pereira viro e-
rudito.

8 Ego autem mandatum præsum-
ptionibus dicebam non probari:
Mascard. de probat. tom. 2. concl.
1007. n. 8. *Dec. conf.* 43. n. 2. *Mantic. de tacit.* lib 7. tit. 4. n. *Cæpol.*
conf. 26. n. 6. cum infinitis *Alben.*
conf. 67. n. 10. quia mandatum est
factum, & res extrinſeca, quæ ab-
ſolute non præſumuntur: *l. in bel-*
lo §. fact. ff. de captiv. & post limin.
revers. *DD. in l. sciendum* ff. de verb.
oblig. *Cremen. singul.* 130. *Boer.*
d. 281.

9 Hinc sequitur Cortinovi non
vendidisse specula Nicolao utpote
mandatarium, quia non constando
de hoc in actu venditionis, legitime
sequitur venditionem esse ce-
lebratam nomine proprio Cortino-
vi: *tex. in l. 2. §. sed quod de tu-*
tutor. v. & si quid. ff. judic. solv. qui-
libet enim actus in dubio præſumit-
tur celebratus nomine proprio:
Cald. de empt. & *vendit. cap. 7. Crot.*

in l. 1. §. nuntiat. tit denovi oper.
nuntiat. n. 39. & ibi. fas. n. 4. pul-
chre Menoch. de prof. lib. 3. p. 39.
n. 18.

Ex quo Nicolaus (tene casum) 10
non habebat actionem contra Joa-
nizoch ad tradendum; neque iste
contra Nicolaum ad pecuniam dan-
dam; reciprocæ enim mansere a-
ctiones inter duo contrahentes Ni-
colaum, & Cortinovi; ex L. si. ju-
lian. §. 1. ff. ad Maced. Alciat. reg.
2. p. 24. n. 5. neque Nicolaus, qui
cum Cortinovi contraxit, forsitan
cum altero contrahere vellet: Me-
noch. de præf. lib. 50. p. 49. n. 16.

Solum ergo in his terminis Joa- 11
nizoch restabat actio intentanda
contra Cortinovi: l. gener. §. fin.
ff. de usu cap. obligans eum ad ce-
dendum, si negotium esset re in-
tegra: Jacob. in prax. fol. 88.
cal. 4. aut dicebam habere posse a-
ctionem contra Reum, aut Nico-
laum emptorem speculorum, si
Cortinovi deceſſisset sine hæredi-
bus: Alex. vol. 1. conf. 58.

Et quamvis actio nobis bene per
nostros procuratores acquiratur,
hoc non habet locum, quando in
actu de mandato non constat: Cald.
ubi supra n. 25. & n. 24. ibid. Aut
quem libet alium tertium, adver-
sus quos nulla domino competit actio.

Neque per liberam personam a-
ctiones nobis directe acquiri pos-
sunt: l. stip. ista §. alter. ff. de ver-
bor. obligat. quibus terminis quam-
vis de mandato constaret, succur-
ri non poterat author: Cald. ubi
supra n. 3. & restabat videre, an
Cortinovi sine hæredibus deceſſisset,
ut subsidiaria actione provideretur:
l. 1. & 2. ff. de instit. act.

Dicebam ulterius, mandatum 14
requirere consensum ambarum par-
tium *Mantic. de tacit.* tom. 1. lib. 7.
tit. 3. l. 1. in prio ff. mandat. & quod
voluntas constituentis præcedat: l.
si ver. §. post credit. ff. mandat &
qnod

quod inter absentes solum per nuntium, & epistolam contrahitur : *Mantic*; ubi supra n. 5. neque sufficit quod ab alio quis fiat certus *I. consens.* & ibi *glos.* & *Bartol.* n. 1. ff. de act. & obligat; & mandatum debet esse ab utroque acceptatum, & suscepsum, ut est *cap. licet de procurat.* lib. 6o. confusus autem est copula duorum. His motus Prætor civilium causarum dedit hanc sententiam :

Sentença.

¹⁵ V^{er} I^stos estes autos libello de A. que o R. contrariou por negação: Prova dada, &c. o que tudo visto, e o mais, que delles consta, disposições de direito em tal caso, e como o A. não prova por modo algum; pois nem as testemunhas da sua inquirição, nem o escrito fol. concluem, que Lourenço Cortinovi vendera os espelhos como seu procurador, nem que intreviera mandato algum special; termos em que segundo a resolução dos DD. daquelle contracto da venda não resulte ao A. acção proposta, nem dominio no dinheiro procedido delle, reputando-se feito nomine proprio simpliciter pelo dito Lourenço Cortinovi, por esta a presumpção de direito; portanto o absolvo do pedido pelo Autor, a quem deixo direito reservado contra os herdeiros do dito Lourenço Cortinovi, ou para haver a sua dívida na falta delles pela acção que lhe ficar competindo, e pague as custas: Lisboa Occid. 17. de Mayo de 1734.

Luis Borges de Carvalho.

Fuit ab ista sententia gravamen interpositum; sed confirmata fuit, licet contra eam sit.

Votum sequens, & primum.

P^{ro} Arvulus processus non levem ¹⁶ continet questionem, quam pro dignitate disputare præceps occasio non sinit. Faxit Dominus, tanta celeritas resolutionem errare non cogat, cum iustitia noverca esse soleat.

Factum hypothesis sincere, ac sedulo ponderando in veritatis sensu (quem semper in animo habeo) mihi probantur specula supplicantis, præcedente mandato ad vendendum, quod præ se fert Chirographum fol. in originali fol. procuratoris nomine vendita fuisse ex juribus adductis per *Oleam de cess jur. in addit ad textum.* 4. l. 11. n. 23. & seq. Per. d. 40. n. 4. & seq. & d. 27. n. 6. v. nam. licet; ideoque contrahendo super re domini (qualis probatur supplicans speculatorum) utilem ei acquirit actionem ex bene ponderatis juribus per *Oleam tit.* 4. q. 9. a n. 6. *Cost. remed subsid.* 91. n. 7.

Ex quo venit, quod Domino ¹⁸ concurrente ad actionem pro pretio confequendo rei suæ venditæ per procuratorem, cum creditore ejusdem procuratoris, pro domino constitente stabit prælatio ex juribus a fortiori ponderatis per *Salgad in lab. p. 2. c. 20. a n. 20. cum seqq.*

Sic igitur in proposito, cum creditor procuratoris sine causa retineat pecuniam provenientem ex actione ad supplicantem pertinenter, quam avocare, & condicere valet; & sic censeo, docti alias Præsidis sententia reformata UL Occid. 30. Novemb. 1734.

Bacalhao.

Votum secundum.

Contrarium mihi placet, nam dato quod actori sine cessione competere utilis actio ex vendito ex contractu sui procuratoris, ut tener *Olea* a sapientissimo sodali relatus *decis. tit. 4. q. 9. a n. 6.* hanc solum exercere potest contra Nicolaum emptorem, vel ejus heredes; non vero contra Reum tertium possessorem, quo cum nec actor, nec ejus procurator aliquid contraxerunt; nam ex contractu emptionis sola nascitur actio personalis ex vendito ad petendum pretium emptori, vel ejus heredibus *ex tex. in lacit. 4 ff. de obli-*
gat. & act. §. omnium instit de act.
Olea d. tir. 4. q. 7. n. 4. Vella dis.
32. n. 18. idcirco cum aggravatus sit possessor alio titulo judiciali fol; & nullum cum auctore, vel ejus procuratore gessisset negotium super speculis controversis, eum absolvo, laudata docti Præsidis sententia. Ul. Or. 10. Decemb. 1734.
Almeyda.

Votum tertium.

Etiam judicatum laudo. Ul. Or. 21 Dec. die 11. anno Domini 1734.
Correa.

Fuerat etiam in hoc processu a me petitum juramentum calumniæ in forma Ord. lib. 3. tit. 43. quo petito juravit ejus procurator: cum postea veniente ad me processu, vidi nullam potestatem dari in mandato (quod erat sermone Italo constructum in urbe Adriatica) ad jurandum. Hoc dixi, & quod ad jurandum requiratur mandatum specialissimum (agitur enim de re magni momenti; atque hominis conscientia; quæ est supra omnia) cap. ultim. de procurat. in 6. c. unic. 30. q. 1. contine-

re que debet mandatum expressam mentionem causæ in judicio ventilandæ: *Joseph Ludovic. concl. 30.*

n. 29. Hirchovius centur. 3. com-
mun. opin. c. 71. v. juramentum ca-
lumniae: Vasq. lib. 2. controv. c.
25. n. 16. & seq. Ord. d. tit. §. 3.

Dixit tamen alter Advocatus, quod cum pars non esset prælens, sed Venetiis; neque aliud daretur mandatum, cœla retardari non poterat, ad quod allegavit §. 4. *prædictæ legis;* & secundum illam obtinuit, ac ita currere præcepit clarissimus Prætor, & Senator Ignatius de Almeyda, e Maya, cui Dominus vitam, & salutem dare in nostram utilitatem dignetur; dignus est enim, qui Nestoreos videat annos, sive ad scientiam attendas, qua cum a juvenili ætate famosus, seu velis mirari summam ipsius æquitatem, & virgam justitiae inflexibilem.

DECISIO TERTIA.

Ex Summario colliges.

- 1 *Factum notabis.*
- 2 *Actio familie herciscundæ longissimo tempore præscribitur.*
- 3 *Confessio est optima probatio, & supplet defectum scripturæ. Emphyteusis perpetua dividitur per æstimationem, & in uno incipitur. Si ad vitas, procedatur in forma Ord. lib. 4. tit. 97. §. cum partes supponunt emphyteusim esse, & Ecclesiasticam; & de natura dubitanti, recurrendum est ad juris præsumptionem: Præsumitur ergo talis emphyteusis ad vitas, & non perpetua.*
- 4 *Convenit hoc votum cum antecedenti, declarat tamen æstimationem fieri non habito respectu ad jus petendæ renovationis.*

NON est necessarium expone-
re hujus processus factum ,
cum constet materia plenissime ex
votis subsequentibus præclarissimo-
rum Senatorum resolventium super
Emphyteusim , & quomodo sit con-
ferenda docentium ; ideo exara-
re tantum vota animo nobis est.

Votum primum

Partitiones amicabili transactio-
ne factæ in sehedula folio , de
qua in pendulo D. nullæ fuerunt
judicatæ per sententiam ejusdem
penduli fol. quæ in rem judica-
tam transivit , in qua causa citatus
cernitur appellatus fol. & virtute
illius decreti devenutum fuit ad
novas judiciales partitiones de qui-
bus in actis , quas appellatus impug-
navit exceptionibus folio , tum
præscriptionis medio , tum etiam
dicendo prædium utpote Emphy-
teicum , quo de agitur , non ca-
dere in prædictas partitiones; sed si-
bi pertinere percipuum ; quia e-
jus parenti datum in dotem a defun-
cto , de cuius bonis partitiones fiunt.

Et dicendo quoad primum me-
dium licet verum sit , quod actio
familiæ hercicundæ saltem longif-
fimo tempore præscribitur , perci-
pue si cohæredes pro illo tempo-
re possident bona pro diviso : *Ayr.*
*de part. 2. p. q. 30. n. 110. ex re-
gul. tetx. in leg. sicut c. de præ-
script. 30. l. 1. § 1. c. Annal. except.*
Valasc. de partit. cap. 38. a n. 2. imo
si ad præsumptionem recurratur suf-
ficere tempus 10. annorum dicunt
Cardos. verbo Fratres n. 2. Gamadecis
320. n. 5. attamen hæ doctrinæ non
sunt applicabiles in hypothesi ; fuit enim decisum , & judicatum partitiones esse faciendas in pendulo D. res autem judicata pro veritate ha-
betur , & jus facit juxta vulgaria.

Itaq; solum restat devenire ad se-
cundum medium , in quo stat tota

rei difficultas , & prius supposito,
quod de dore facta parenti appella-
ti non dubitatur , quia confessione
partis probatur in libello 6. contra-
rietatis articulo folio , suplente con-
fessione scripturam , si forte esset
necessaria , juxta *Ordinat. in 3. tit.*
59. §. 3. Peg. Forens. cap. 1. §. 6.
n. 24. Valasc. de jure Emphyteutic.
q. 7. n. 31. Vaz. allegat. 72. n. 95.
Totum dubium stat circa naturam
quam induit Emphyteusis de qua in
proposito ; quia si est perpetua , ve-
nit per estimationem dividenda ,
& in uno debet capitari juxta *Or-*
dinat in 4. tit. 96. §. 23. si ad vitas ,
nullatenus , sed procedendum erat
in forma *Ordinat. in 4. tit. 97. §. 22.*
& præsupposito etiam , quod par-
tes non dubitant prædium conten-
tionis esse emphyteuticum , si ad ju-
ris præsumptionem in hoc casu du-
bio recurrere debemus , cum par-
tes supponant emphiteusin esse ec-
clesiasticam de bonis cuiusdam mo-
nasterii , seu ecclesiæ necessario
præsumenda est ad vitas , non per-
petua , juxta communem distinc-
tionem DD. de qua *Gam. decis. 72.*
*n. 2. &. decis. 276. n. 3. Pereir. de-
cis. 37. n. 11. Valasc. de jur. en-
phitet. q. 1. sub. n. 12. prope finem;*
Peg. Forens. tom. 2. pag. 636. n.
185. proindeq; emphiteusis hæc non
poterat venire in judicium familiæ
hercicundæ , ut per regiones dis-
tinctas dividatur , & ideo pertine-
bat præcipua dotata matri appelle-
tæ : *Cald. de potest. eligendi libr.*
§. cap. 12. n. 14. & ex ea ad illum,
ex Ordinat. in 4. tit. 26. §. 2. quare
ego in hac parte judicis sententiam
confirmarem ne scilicet emphiteu-
sis veniat in partitiones dividenda ,
cum appellato præcipua pertineat ,
ea declaratione , quod cum in ea
censeatur parens ultima vita ex eo ,
quod de titulo non constat : *Gam.*
decis. 244. n. 3. &. decis. 297. n. 3.
Valasc. loco supra; & etiam appa-
reat

reat eam fuisse pleno jure in vita dotantis translatam, de cuius bonis partitiones fiunt, eam pro valore ultimæ vitæ adduccat in collationem appellatus, si ad partitiones venire voluerit ex Ordinat. in 4. dicto tit. 97. §. 22. Cald. de nominat. q. 18. n. 90. In cæteris manent partitiones firmæ, sic confirmato, & revocato judice: Olyf. 16. Aug. ann. 1715. D.

Tinoco.

Votum secundum.

4 **C**onvenio, & addo, quod emphyteusis æstimatio fiat nullo habito respectu ad jus petendæ renovationis, ut advertunt *Valasc. de partit. cap. 13. n. 132. Egidius ad primam partem legis Ex hoc jure cap. ultim. n. 69. Carvalho ad caput Raynald. de testament. p. 4. n. 193. Barbos. ad ord. lib. 4. tit. 97. §. n. 6. Pater Pinheyro de emphiteus disp. 7. sect. 2. §. 3. n. 38.* ubi rationem præstat. *Arouc. allegat. 26. n. 14. Ulis. 1. sept. 1715. Tavares.*

Votum tertium.

Idem censeo, & cum declaratio ne injuncta a 2. Sapientissimo Domino. Ulyf. 29. Novemb. v. 115. Rego.

Acordaõ os do Dezembargo, &c. Bem julgado foy pelo Juiz dos Orpháos da Cidade de Ponte delgada da Ilha de S. Miguel: confirmão sua Sentença por alguns de seus fundamentos, e o mais dos autos, com declaraçao porém que visto o prazo, de que se trata ser Ecclesiastico, e como tal se presumir concedido em vidas, e ser nelle ultima vida o dotador Antonio da Costa Redovalho, querendo os segundos appellantes ser herdeiros do dotador, traraõ a collaçao o dito prazo para

thes ser imputado no valor, que tinha ao tempo, em que foy dado em dote, estimando-se na terceira vida, em que se presume estava, sem je haver respeito ao direito, que os dotados tinhaõ para pedir a renovaçao no que haõ por declarada, e reformada a Sentença do dito Juiz, e paguem os primeiros appellantes as custas dos autos: Lisboa 5. de Desembro de 1715.

D E C I S I O.

(*Seu mavis arestum*) *Quarta.* Quando articuli in libello possit deleri possint, hic declaratur. Numeri 4. Summario non egent.

IN causa magni ponderis, scriba Emmanuele Camacho da Rocha in judicio Prætoris Curialis Civilium causarum formavit Advocatus libellum pro parte Emmanuelis da Costa Juzarte viri generosi, quem de præsenti in multis causis defendo. Post formatum voluit delere quosdam articulos ante litem contestatam; ita ut legi nullatenus possent; ac ita petivit: Prætor voluit audire alteram partem; pro qua dixit Franciscus da Motta, e Veiga, hoc non debere permitti; sua enim pars habebat jus in confessionibus factis in prædictis articulis, quibus juvari vellet; certum est enim de jure ex similibus confessionibus resultare plenam probationem contra scribentem; ut tritum supponimus. Pro hac parte nobilissimus stetit Prætor, Emmanuel da Costa Bonicho, a quo fuit gravamen interpositum ad Senatum.

Fundamentum gravaminis fuit; quia liberum est partibus suos emendare libellos, ab illis desistere, & alios de novo formare: detrahere de illis, augere, abrade re; & quidquid simile ante litis contestationem: *Barbos. ad. l. non. post*

rest videri 23. de judic. ex. n. 30.
Immo etiam post litem contestatam, fieri hoc valet, si nempe fiat in continentia, ut plurimi factentur DD. & tradit, ubi supra, idem *Barbosa*: favet resolutioni positae in principio, quod possit emendari libellus, *Ord. in 3. tit. 20. §. 7.* & *alia lib. 1. tit. 48. §. 14.*

3 Et quamvis confessio in articulis facta constitutat juridicam probationem in favorem alterius partis, præcisum est, quod confessio acceptetur; ante enim acceptationem, nullum producit effectum quoad hoc: jam vero ante litis contestationem non supponi potest acceptatio prædicta; potest enim in tempore revocari illa confessio; & faciunt quæ scripsit *Cardos.* in *praxi verbo confessio n. 21.* & ibi. novi *Additionatores*: *Ros. conf. 54. n. 18.*

4 His dictis ab Advocato Joseph da Costa Magalhães (cujus anima requiescat in pace) data fuit provisio in Senatu Supremo per verba hæc: *Acordaõ em Relaçao, &c. aggravado he o aggravante pelo Dezembarador Corregedor do Civel da Corte: provendo em seu agravo; vistos os autos, porque se mostra, que estando o libello re integra, e sendo o aggravante admitido a não usar do artigo de seu libello, de que se trata, requerendo se risca-se o mesmo artigo, se lhe devia deferir, e no contrario se lhe fez agravo, assim o declare o dito Corregidor da Corte: Lisboa Oriental de Janeiro 21. de 1734.*

Coelho. França. Moraes.

D E C I S I O.

(seu mavis arestum) Quinta. Utrum post conclusionem in causa possit reus cogi ad deponendum? Et notabis casum decisionis; ipsa enim pars, quæ petivit positionem, renuntiaverat dilationi.

S U M M A R I U M.

- 1 Positiones peti debent ante conclusionem in causa; & fieri dilatationis tempore: Positio est species probationis. Qui renuntiat probationibus, etiam inclusive positionibus.
- 2 Elapsis probationibus cessant positiones per tacitam, & virtualem renunciationem.
- 3 Omnia hæc fundamentis nituntur.
- 4 Contraria Senatus sententia, & Germanici Conservatoris: hoc tam de æquitate; & quia probatio favorabilis est.

Post conclusionem in causa, dedit Advocatus processum, petendo quod pars deponeret ad articulos libelli, quem contra eam in judicio Germanici Conservatoris intentaverat; ac formaverat.

REspondi Advocatum debere hoc antea petere ex *Mend. a Castr. lib. 3. cap. 12. n. 25. in 1. p. cum plurimis Mascard. de probat. c. 1181. n. 3.* & cum ita non fecisset; immo in audientia ipse postularet conclusionem, ut de meritis diceretur, jam non erat locus positionibus ex *Mascardo*, ubi supra n. 36. Quia positio est una species probationis, & ideo quando pars renuntiat generaliter probationibus, videtur etiam inclusive renuntiare positionibus: Hinc semper constans est tempore dilatationis fieri positiones, & aliter Reus non tenetur deponere.

Et quod elapsis probationibus cessent positiones per quamdam tacitam, & virtualem renunciationem, probatur expresse a *cap. cum ad sedem de rest. spoliat.* & est doctrina sapientis *Olrud. conf. 244. in fin. Bald. in l. in contract.*

§. illud

§. illud cod. de non numer. pecun. & cum plurimis ampliationibus hoc idem tradit Speculat. in tit. de dilat. §. final; neque, ex vulgaribus regulis, jura subveniunt dormientibus, & non vigilantibus: l. pupill. ff. quæ in fraud. credit. l. non enim ff. ex quib. caus. maior. l. ultim. ff. de edend.

3 Hoc non male a me dicta fure, sed noluit pro hac parte stare Conservator; ideo interposui gravamen ad Senatum fundatum iisdem juribus, & Doctoribus

4 Et respondit Senator Joannes Alvares da Costa vir egregius, & Conservator peritissimus, hæc omnia cedere æquitati, cum probatio favorabilis esset, & Judex debaret esse pronus ad indagandam veritatem; immo ita in Senatu se multoties vidiſſe judicatum protulit; & addebat hanc favorablem opinionem esse amatam a multis boni nominis Doctoribus, ad quod citavit ita afferentes Michalor. deposit. c. 26. ex n. 14. Angel. de confes. lib. 2. q. 1. n. 40. Constantin. ad stat. Urb. tom. 1. annot. 8. art. 1. n. 45. & ita fuit denegata provisio in Senatu; scriba Antonio Josepho de Miranda anno 1733. contenditibus Liberto Gerdés, atque Theodoro Oquer clientibus nostris cum Joanne Stamatello.

DECISIO SEXTA.

De censu consignativo, & hypothecæ, ac ipsius oneris fortitudine; quæ nullatenus confunditur.

SUMMARIUM.

1 Census consignativus est onus reale, & ex illo oritur obligatio propriæ hypothecæ.

2 Idem ulterius ponderatur.

3 Hæc hypotheca dicitur irregularis, & cæteris fortior, & late explicatur.

4 Multi DD. ex tali obligatione non inducunt propriam hypothecam.

5 Res semper transit cum suo onere.

6. & 7 Fundamenta vide pro Monialibus.

8. & 9 Vide fundamenta contra Moniales.

10 Votum aspice primum, & doctrinas excellentes.

11 Votum secundum nota, & tandem Moniales condemnatas: in vectigalibus prædia, & non personæ conveniuntur: Possessores præteriti etiam temporis vectigal tenentur solvere.

Inter Moniales Insulæ S. Michaelis, quæ sunt titulo Conceptio- nis insignitæ, & Andream Beran- guer fuit hæc quæstio. Petivit enim, quod Moniales condemna- ri debebant in solutione certi mag- ni canonis impositi domibus, & provenientis ex censu consignativo; erat enim onus reale, & res cen- sita pensioni solvendæ adstricta in- cludit obligationem propriæ hypo- thecæ, ut bene Avend. resp. 224. n. 23. Alciat. conf. 2. Cov. lib. 3. var. cap. 7. n. 5. & 6. Solis lib. 3. de cens. c. 4. n. 2. Lar. anniversar. lib. 1. cap. 8. n. 29. & 30.

Cum enim ad censualem pensio- nem nominetur res certa, & onus eam solvendi super tali re consti- tuatur, consequens est manere rem pro ea pensione hypotheca- tam, ex Valasc. de jure emphit. q. 32. n. 17. post. medium optime La- ra de annivers. lib. 1. cap. 2. n. 12.

Et hæc hypotheca dicitur irregu- laris, ac cæteris fortior; nam res aliis hypothecis subjectæ, licet in quemcumque possessorem deve- niant, semper secum deferant onus, & obligationem, ut ex ipsis fiat solutio; tamen si devenant in tertium possessorem, qui non sit hæres,

hæres, aut universalis successor debitoris principalis, non potest ab eis peti solutio, non factâ prius excussione in bonis ipsius principalis debitoris, aut hæredum illius: unde si talis possessor hypothecariâ conveniatur, excipere potest de excussione nondum factâ: *Auth. hoc si debit. Cod. de Pignor. Pinheir. de Cens. disp. I. sect. 7. §. 4. n. 118.* at possessor rei hypothecatæ pro annuo redditu super eâ constituto, quamvis sit singularis successor ejus, qui talem censum constituit, conveniri potest pro solutione, teneaturque novum titulum recognitionis domino censûs facere pro pensione ipsi solvendâ, si ab ipso conveniatur.

⁴ Et licet alteri non mediocris doctrinæ dicant talem obligatiōnem non esse propriam hypothecam, sed illud onus reale rei impositum, ut bene *Caldas Per. de Extinct. Emphit. cap. 3. n. 35. Navarr. de Usur. n. 76. & seq. Joannes Medin. Cod. de rebus per usur. acquisit. q. ult. prop. fin.* quatenus requirit speciale pactum, ut pertinente re censitâ, obligatio pensionis nihilominus duret: *Molin. disp. 383. n. 12. Azor p. 3. lib. 10. c. 5. q. 3. Leotard. de Usur q. 57. n. 42.* quod præcipue habet locum post Bullam Pii V. ut ubi supra *Pinb. n. 120.* quocumque modo obligatio intelligatur, Moniales erant pensioni adstricte, cum domos possiderent.

⁵ Res enim semper transit cum suo onere ad quemcumque possessorem: *Ord. lib. 4. tit. 3. L. distract. L. Pign. Cod. de Pignor. L. Stipend. ff. de impens. in reb. dot. fact. Valens. conf. 94. n. 53.*

⁶ Allegabant Moniales se in hastâ publicâ domos emisse, habitâ prius sententiâ contra quemdam Antonium Costa, quod aperte

probabant, & hinc intendebant deducere censum extictum manisse, ut dicebat earum in Curiâ Advocatus Emmanuel Lopes Bi-cudo.

Probabat hoc adhærendo illi opinioni suprà, quæ stat pro hypothecâ rei censitæ, & dicebat, quod licet res transeat cum suo onere ex Ord. allegatâ, quando tamen res venditur in hasta publicâ, & in executione, quæ fit ad solutionem debitorum illius, qui rem obligavit, extincta supponitur hypotheca, quapropter per *Ord. lib. 3. tit. 91. in princ.* qui prius facit pignorationem, certe habet præferentiam, licet dentur hypothecæ anteriores, ut disponit dicta Ord. quæ tamen esset inutilis, si in hoc casu perseveraret asserta hypotheca: ergo fuit sublata, proindeque Moniales non erant adstrictæ solutioni præteriorum pensionum.

Attamen in hoc casu certè non confunditur hypotheca, quod magis est, etiam per successionem universalem debitoris creditori, non perfecto inventario, ut magistraliter tenet *Amat. Var. 2. p. resol. 56. n. 10.* neque interest, quod venditio foret necessaria, & in hastâ: *Torr. de Paet. Futur. Success. lib. 3. cap. 2. n. 57. & 58.* & tenet impediri translationem dominii; & quod possit reivindicari. Et esse irregularem hypothecam, & omnino indebilem, ac fortissimam scripsit *August. Barbos. lib. 3. vot. 96. à n. 103.* & dat rationem; quia census non tam hypothecam inducit, quam jus quoddam, & onus reale prædio, aut alteri rei inhærens, quod transit in quemcumque possessorem, & sequitur ipsum fundum, prout onus tributi rem tributariam.

Neque Lex extinguit hypothecas, neque dat prælationem

nisi inter æqualiter privilegiatos, sive respectu illius, qui cum sciret executionem agitari, de suo jure non est protestatus, ut explicat Gabr. Per. d. 7. n. 4. vers. *Nec obstat; tacens enim sibi præjudicat ob negligentiam, neque potest revocare solutum.* L. *Puppill.* 24. ff. *quæ in fraud.* aliter tamen revocat: L. *Ædīct.* 13. §. *Cum autem ff. de jur. fisc. Paul.* in L. *Si fidejuss.* §. *Si in solid. ad fin.* ff. *de fidejuss. Alex.* in L. 4. §. *Condemnat.* n. 17. ff. *de re judicata.* Et sic primæ sententiæ datæ contra Moniales fuerunt confirmatae in Senatu, scribâ Joanne Nunes da Costa Gentil.

Votum primum.

De censū 2U600. venditione non dubitatur, nec dubitari poterat ex instrumento fol. in dominibus contentionis prædictum censum venditum, & constitutum fuisse: obligatio autem rei censitæ pro annua pensione solvendâ non est propria hypotheca, sed onus reale ipsi rei impositum, ut ex eâ annua pensio debeatur: Per. dec. 66. n. 1. *Valasc.* de *Emphit.* q. 32. n. 13. & 14. & ideo tertius possessor rei censitæ directo ad solutionem conveniri debet: *Valasc.* n. 14. vers. *Sed & illud sequitur.* Cens. de Cens. q. 90. à n. 1. Nec obstat ædes censuales subhaftatas fuisse, & ideo a creditoribus liberas esse censeri ex Ord. lib. 4. tit. 6. in pr. quia Ord. inter creditores locum habet, non inter dominos, qui semper comparere possunt, & rem subhaftatam vendicare: *Giurb.* obs. 87. n. 17. *Salgad.* in *Labyrinth.* Credit. p. 1. cap. 18. à n. 13. confirmetur ergo judicatum. Ulyssip. Jan. 5. 1692.

Mattos.

Votum secundum.

Imperatores Antoninus, & Vetus rescripserunt in vectigalibus ipsa prædia, non personas conveniri, & ideo possessores, etiam præteriti temporis, vectigal solvere debere: *text est in L. Imp.* 7. ff. *de public.* & *vectig.* nec excusso necessaria est: *Mastril.* d. 171. à n. 8. & n. 11. & 12. etiam si inter partes absque domini directi consensu aliud pactum sit: *Dotissimus Peg.* For. cap. 3. n. 364. cum ergo RR. possideant, condemnationem evadere non possunt, solvant igitur decursas pensiones, judicato laudato. Ulyssip. 27. April. anno salutis 1693.

Moura.

Et huic tertius dominus etiam, primoque subscribit, & contra Moniales optimè fuit judicatum.

DECISIO SEPTIMA.

Quomodo mutus possit adire hæreditatem, & debeat, hîc explicatur; & etiam regula *Filius:* ergo hæres.

SUMMARIUM.

- 1 *De aditione hæreditatis respectu muti constare non potest, quin probetur per signa animus adeundi.*
- 2 *Si filia, ergo hæres, licet muta illa sit; quia datur jus suitatis; & filio ignorantis transmittitur hæreditas; & quamvis iste sit furiosus.*
- 3 *Alterum fundamentum in casu proposito.*
- 4 *Explicatur regula Filius: ergo hæres: Procedit, quando filius agit, & ad suum commodum, non cum conveniatur.*
- 5 & 6 *Miris sane doctrinis cōfirma-*

firmatur *Prætoris Eximii* sententia. *Filius quamvis suus hæres*, & necessarius jure civili, habet ex jure *Prætorio* remedium abstinendi. Vide, & cetera nota; & quod mutus, & surdus a nativitate furioso æquiparetur. Datur ipsis cura-
tor: Ad habilitationem non suf-
ficit confessio inter alias partes.

¹ **M**ortuo Michaele de Macedo Velho, viro nobilissimo, ac fratre D. D. Antonii de Macedo Velho optimi gravaminum Senatoris, voluit R. Fr. Joannes Rami-
res habilitare ejus hæredes, inter quos erat D. D. Catharina Maria de Macedo muta à nativitate. Datus fuit ipsi cura-
tor a Prætore Civi-
lium caifarum egregio Domino Ludovico Borges de Carvalho, & fuit nominatus Doctor Emmanuel Madeira bonus Advocatus, & pro parte mutæ bene sic loquutus est: affirmavit enim respectu illius non posse constare de hæreditatis adi-
tione, quin probaretur animus adeundi, & iste per signa solū poterat cognosci. Unde cùm de hoc in procellu nulla esset certi-
tudo, cessabat procul dubio habilita-
tio. Prætor ita judicavit, & postea impedimenta opposita huic sen-
tentiae rejicit; à quâ petitionis gravamen fuit ad Senatum inter-
positum.

² Et dicebat Dominus de Sá Syl-
va famosus Advocatus, ac Magi-
ster meus colendissimus, quod cum muta esset filia illius Maceci, ne-
cessariò hæres erat, & dabatur jus
suitatis, ex text. in princ. *Insti-*
t. de hær. qualit. & differ. & ipsi fi-
lio ignorantis transmittitur patris
hæreditas, quod procedit etiamsi
filius sit furiosus: §. 2. *Insti-*
t. de hæred. quæ ab intest. def. L. 24.
ff. de obligat. & act. unde sine fa-
cto proprio, vel adhuc alieno tu-

toris, vel cura-
toris acquiritur filiis
hæreditas ex d. §. 2. *Insti-*
t. de hæred. quæ ab intest. defer. Arnold.
Vin. part. jur. lib. I. cap. 42. vers.
Pos. remò, & hoc consequens est.

Accedebat ponderatis, quod
ipsa muta jam fuerat in Senatu ha-
bilitata, & ita fuerat judicatum:
unde non poterat esse hæres ad
commodum, & nullatenus ad in
commodum, ut Sá Sylva argue-
bat.

Doctissimus Prætor ita respon-
dit gravamini.

S E N H O R.

A Regra, de que *Filius*, ergo 4
hæres, procede, quando *fi-*
lius agit, & est ad suum commo-
dum, mas naõ quando he convin-
do, e habilitado por outra pessoa;
porque neste caso depois do benefi-
cio da abstêncão he preciso, que
se lhe prove a addição da herança:
Grat. Discept. For. cap. 477. n. 25.
Sper. d. 72. n. 16. Merlin. d. 857
n. 9. Por esta razão proferi o des-
pacho fol. e embargando-se com
os embargos fol. e juntando-se a
certidaõ fol. por este novo docu-
mento reformey o dito despacho,
e dey o que se acha a fol. julgan-
do habilitados os outros, excep-
tuando sómente a D. Catharina
Maria de Macedo, por se confessar
ser muda à nativitate, e naõ se po-
der dizer provada a addição da he-
rança a respeito delia pela dita
certidaõ; nem haver factos, ou
sinais, porque se lhe percebesse o
animo de addir, pelos quais he,
que se conhece aos mudos, como
respondeo o seu curador a fol. e
declara com muitos Doutores *Jo-*
seph Urceol. in tract. de Trans. q.
38. n. 4. Por todos estes fundamen-
tos me parece naõ fiz agravo. V.
Magestade mandará o que for mais
justo. Lisboa Occidental II. de
Li ii Mayo

Acordaõ em Relaçao, que naõ tomaõ conhecimento do agravo, por ser caso de agravo ordinario, que a parte podera interpor parecendolhe. Lisboa Oriental 13. de Mayo de 1734.

*Abranches. Doutor Coelho.
Morais.*

Fuit soluta gabella, gravamenque de novo, ordinarium tamen interpositum, & in instantiâ hac. Prætoris confirmata sententia per hæc vota, quorum.

Primum.

Prolatâ optimâ, ac juridicâ Præsidis sententiâ a fol. in illam opposuit supplicans exceptiones fol. quæ fuerunt rejectæ in supplicatâ sententiâ fol. de exceptionibus igitur tantùm prædictis cognoscere debemus per *Ord. lib. 3, tit. 84. §. 8*, cùmque illarum materiâ quoad supplicatam nihil attendibile in eis deducatur, aut de jure comprobetur, cùm filius quamquam in potestate jure civili sit suus hæres, & necessarius: *L. In suis de liber. & posthum. L. Cum ratio in princ. ff. de bon. damnat.* tamen a jure Prætorio habet beneficium abstinendi: *§. Sui Instit. de hæred. quæ ab intestat. defer. vers. Sed his;* & ut a paternis creditoribus conveniatur, opus est in habilitatione articulare, & demonstrare eum non solum filium esse, sed etiam sui parentis hæreditati se immiscuisse: *Mend. in Prax. 1. p. lib. 1. cap. 4. n. 4. Glos. in L. Necess. ff. de acquir. hæred. Gutierr. §. sui n. 105. Instit. de hæred. qualitat. Valasc. de Partit. cap. 15. n. 44. conf. 60. n. 8. Amat. d. 61. n. 7.* Non enim qui scriptus

Perfectus

Advocatus,

est hæres, intelligitur, hæres esse, sed qui adit: *Casir. lib. 3. §. Siquis ita ff. de hæred. institut. Pacian. conf. 143. n. 20. Cabal. conf. 124. n. 13.* uisque adeo ut si judicium subeat filius, nec excipere eum opporteat dicendo se non immiscuisse: *Grat. d. 122. n. 45.* dum tamen prius interrogetur faltem a Judice, utrum hæres esse velit? *L. 1. 2. Cod. de interrogat. act. Bartol. & DD. in L. Necess. ff. de acquir. hered. neque enim conveniri potest. Gom. tom. 1. Ref. cap. 9. n. 17.* cùm pro extraneo interim reputetur: *Barz. d. 122. n. 13. & alii.* Ideo inhæsitanter judicatum laudare placet. *Ulyssip. Occid. 7. Nov. 1734.*

Salter.

Secundum.

Mutus, & surdus à nativitate 6 furioso, & similibus æquiparatur, & ei debet dari curator: *Cald. in L. Si curat. de rest. in integr. verbo Non absimilis n. 60. Crot. in L. 1. ff. de verb. obligat. n. 22.* & solum contrahere potest, si ex signis demonstretur intellectum habere: *Michal. de cæco, surdo, & muto, cap. 39. n. 1.* & sic hæreditatem adire, & non alio modo potest ex §. final. *Instit. de hæred. qualit. & diff. L. fin. ff. de bon. posses.* de quo in præsenti non constat; quin contrarium suadeat habilitatio fol. quia ad habilitatem non satis confessio, nec habilitatio cum alio facta: *Mend. in Prax. p. 1. lib. 3. cap. 21. n. 3.* Ultra quam quod ad hoc, ut quis pro hærede habeatur, debet probare se hæreditati paternæ immiscuisse. Pater meus D. Senator Guerr. *de Invent. lib. 2. cap. 8 n. 42.* & nullo modo hoc constat in tali habilitatione, ubi agebatur de commodo mutæ, & surdo, non verò

verò de damno , nec ejus legitimus curator , sed solum ad litem in iudicio stetit , & ad instantiam aliorum hæredum nominatus , quod non sufficit , ut pro hærede habeatur , & ista personalitas ab agente probari debebat . Sic judicato ad hæreo . Ulyssip . Occid . 29 . Novemb . 1734 .

Guerreiro.

Scriba Emmanuel Ludovicus de Carvalho in officio Francisci de Oliveira Leitaõ .

DECISIO OCTAVA.

Utrum jus de futuro disputari possit ?

SUMMARIUM.

- 1 Proponitur factum.
- 2 & 3 Jus merè de futuro deduci in iudicium non valet secundum plurimos.
- 4 & 5 Limitationes vide concludentes : Pervertens ordinem succedendi , debet pati , quod in ejus vitâ declaretur successor .
- 6 Quamvis deducatur jus de futuro , suppositâ introversione possessoris , jam de praesenti competit .
- 7 Latè probatur .
- 8 Sufficit esse pars læsa , ut ejus occurratur præjudicio in his terminis .
- 9 Declaratur præjudicium .
- 10 & 11 Explicatur praesens materia .
- 12 Judex Civilium causarum stetit pro negativâ .
- 13 14 15 Tria vota pro affirmativa ; & sic Senatus optimè sententiam revocavit stupendis doctrinis .

- 1 N Obilis vir Josephus Dionysius Granate libellum dedit in iudicio Civili contra patrem

suum Jaques Granate , & factum processus ita erat ; & ipsum nostro idiomate proponam : Os Religiosos da Congregaçao de S. Joao Evangelista eraõ Senhores directos de huma horta , e casas , e mais adjacentes , tudo prazo em vidas , e estando acabadas , renovaraõ , ficando sendo huma vida Dionysio Granate , e o dito seu pay , que conveyo no tal aforamento , e muitos annos esteve na posse . Depois fez nomeaçao do prazo o dito Jaques em sua mulher D. Catharina Holbeche ; e como isto prejudicava ao filho vivo , de quem es a era madrastra , pois por morte do pay lhe pertencia entrar no prazo , que com a dita nomeaçao a madrastra lhe embaraçaria , quiz assim logo vir ao Juizo com o direito , que lhe competia de futuro , para que a dita nomeaçao se julgasse nulla , e se declarasse , que por morte de seu pay , supervivendo o Dionysio , lhe competia o prazo .

Ecce Reus , his terminis suppositis , adest , & format exceptio nem peremptoriam , dicendo , quod hæc quæstio tangebat merè jus de futuro , & casum , quo filius patri esset superstes , & hoc omne erat contingens , ac per consequens actio intempestiva , & a iudicio filius repellendus , receptâ exceptione in terminis Ord . lib . 3 . tit . 20 . § . 16 .

Et quod in praesenti non posset hoc iudicari , neque dari sententia in tali materiâ probabatur ex regulari text . in L . Non potest 23 . L . Non quemadmodum 25 . & ibi Bartol . ff . de judic . L . Litigator . § . fin . ff . de arbitr . L . I . § . I . ff . de usur . Gabriel Pereira , qui plures refert d . 129 . n . I . Giurb . d . 17 . n . 18 . & 19 . Fontanel . d . 156 . à n . I . usque ad n . 8 . plures refert Hontalb . de Jure Superven . tom . I . q . 5 . n . 51 . & 52 . ubi ait , quod jus

jus merè de futuro deduci in judicium non potest, quia tractus futuri temporis absolute non spectant ad Judicem. Pro hac parte stabat Josephus Correa Barreto egregius Advocatus.

4 Ego verò, qui filium, licet alieno nomine, & sub altero signo defendi, accerrimè omnia impugnabam, limitando supradictas doctrinas, quoties verificabatur damnum agentis, ut per eumdem *Gabril Pereira dec. 129.* Et licet generaliter loquendo vera essent, quæ pater allegabat, ad hunc casum adaptari nequivant, quia volente patre post se declarare successorem, in eumque transferre successionis jus, licet legitimo successori statim experiri, & petere se declarari successorem legitimum post mortem illius, aut alterius possessoris.

5 Et efficax est hæc ratio: Quia dum possessor maioratus modum succedendi pervertit, successoremque post se declarat, vel illum tanquam successorem in possessionem immitit maioratus, ut cœteris præferatur, opportet ut patiatur in vitâ suâ agi de ejus successione, ut ejus malum, & intempestivum arbitrium Judicis officio reformari possit.

6 Nec agentibus obstat, quòd deducant in judicio jus de futuro competens, quia suppositâ illâ introversione possessoris, jam de prælenti jus illud competit, & sufficit causam existere, in quâ judicium subsistat ad jus.

7 Probatur hoc a cap. *Cum super de concession. præbend.* in terminis cuius textûs admittitur ad litigandum Canonicus ad declarandum, cui competit præbendæ vacatura, quia alteri data fuit, & sufficit ista datio de præsenti, ut judicium non esset inane: ergo similiter in nostro casu, & sibi Jaques imputaret actum, quem fecit nominando.

Denique: Sive jus deductum 8 sit de præsenti, sive de futuro, sufficit pars esse læsa, ut occurrat præjudicio, ut est doctrina doctri *Cened. 2. p. Collect. n. 3.* & hoc ut sententiam inconcussam tenent *Gregor. in L. 2. tit. 2. p. 3. glos. I.* *Per. in L. 1. tit. 8. lib. 3. Ordinam. vers. Infertur 3. Pelaes lib. 2. q. 1. n. 63.* Et quòd sufficiat læsio, tenet *Gabriel Pereira d. decis. n. 3.* quia in casibus similibus dicitur filiis jus acquisitum in vitâ parentum: *Paul. conf. 164. volum. 2. Dec. conf. 468. n. 28.*

Aliter noverca maneret in possessione post mortem mariti, post habito filio legitimo successore, qui pateretur sic evidens damnum; & cum hoc esset iniquum, certè filius poterat ob hoc solum agere: *L. fin. Cod. in quibus cauf. L. Cum pater §. Liber. ff. de legat. 2. L. Pe- to §. fin. eod. tit. Molin. lib. 3. cap. 6. n. 15. & lib. 4. cap. fin. n. 52.. L. Si delatum 41. ff. ad L. Aquil.*

Hæc quæstio sanè est vulgaris, & quæ in maioratibus, & emphiteutibus quotidie ventilatur, & ter in supremo Senatu pro nostrâ parte judicatum refert *Valasc. conf. 184.* quando datur diffamatio, aut possessor bona alienat, præcise enim his casibus convenientius est, & debet ei pronuntiari legitimus successor, ex text. in *L. Imperat. ff. ad Trebel. eleganter Pinel.* in *L. 1. Cod. de bonis matern. scribentes in L. Si credit. ubi Ripa ff. de privileg. credit.*

Et respectu culpabilis facti de 11 præsenti potest peti illud, quod alias esset de futuro: magistraliter *Abb. in cap. Cùm super de conces- sion. præb.* Rectè ergo Dionysius postulabat, ut ius suum statim declararetur, & fieret condemnatio, habitura tamen effectum post mortem successoris.

• Antonius Josephus da Fonseca 11
Le-

Lemos Judex peritissimus protulit contra nos sententiam, a quâ appellavimus ad Senatum, & fuit jure merito revocata per suffragia sequentiâ.

Votum primum.

Hoc loci arundines nedùm tenues, sed etiam firmissimas quercus agitari aiunt. *Fontanel. d. 156. n. 11. De Luca ad Franchis d. 655. n. 1.* est enim quæstio valde controversa, an successor de futuro jure agere valeat? Brevitati tamen consulens, moris ut est mei, dico quòd licet multi DD. pro affirmativâ sint, & nitantur in *L. diffamari, & L. Si contendant, quæ notæ sunt, ac in L. I. Cod. de fideicōm. L. Si mandavero ff. mandat. L. Rem alien. §. fin. ff. de pignor. auct. ac in aliis adductis per Altim. ad Rovit. tom. 2. conf. 95. n. 1.* attamen magis communis opinio est pro negativâ, ut multis citatis *Cortiad. d. 238. n. 49. Manfreli. obs. 151. n. 16.* & bene fundatur in *L. Statius Florus §. Cornel. ff. de jur. fisc. & in L. Façt. 63. §. Sub condit. ff. ad Trebel.* Porrò hæc communis opinio inter alias duas recipit limitationes; prima, quoties possessor jactat se de bonis liberè posse disponere: latè *Cortiad. ubi proximè: Larrea dec. 38. Deluca ad Franchis supra n. 4. & 5. Altim. ad Rovit. d. conf. 95. n. 5. ubi Per. de Cast. Fontanel. & alios dat.* Altera est limitatio, quoties jus de futuro ex causâ jam existente, & justâ deducitur tanquam jus præsens: *Hontalb. de Jur. superven. tom. 1. q. 5. n. 170. Sanfelic. d. 165.* Quæ quidem meo sensu adsunt; nam appellatus per instrumentum publicum declaravit successionem filii, immò & jus ei jam concessum de præterito, ut eadem vita cum patre sit, nullius roboris esse, ac ideo eum posse in

uxorem emphiteufis successionem transferre, etiam filio superstite, & defacto illum in casum nominacionem fecit, exprimens filio ex renovatione concessâ à directo domino nullum jus esse. Quare in dubius judicem revoco, ut exceptione non obstante, causæ demeritis lis prosequatur. Ulyssip. Occid. 30. Maii 1734.

*Costa.**Votum secundum.*

Jus de futuro deduci potest ex 14 causâ jam de præsenti existente, quia tunc jam actio orta est. Una verò causa, in quâ permittitur, est jactantia possessoris, seu alterius, afferendo bona esse libera, cùni reverâ maioratûs, seu fideicommissi erant, ut notant ferre omnes in hac materiâ, quos refert *Fontanel. d. 155. & 156. & Larrea d. 38.* & alios quos citat *Cortiad. d. 238. sub n. 49.* Et fortior dici non potest jactantia verbalis, quam realis, & effectivus auctus, in quo realiter emphiteufis transstulit in uxorem per reservationem ususfructûs, afferendo nullam esse investituram, in quâ exceptus simul cum excipiente in eâ primâ vitâ erant: jactantia ergo fuit non solùm verbalis, sed ad auctum reducta, ideo de eâ in præsenti debet cognosci. Evidem non bene quòd fileat, definivit Judex in limine: progrediatur actio, revocatâ sententiâ. Ulyssip. Occid. die 25. August. anno Domini 1734.

*Máriz.**Votum tertium.*

Questio modò agitata est inter DD. valdè controversa: docet *Urceol. Consult. For. conf. 82. n. 40.* & vulgaris secundum

dum *Aquil. ad Rox. de Incompatib.*
p. 5. cap. 3. n. 11. & pro resolutio-
ne negativâ, quæ magis obtinuit
est *text. ad literam in L. Si filius*
qui patri 42. §. Cùm filius ff. de
bon. liber. ad illa verba: Qui se-
quentis gradüs sunt, non admit-
tuntur interim. Latius omnia pon-
derat optime idem Urceol. n. 41.
noster Pinel. & Valascus citati.

Alt vulgò obtinetur, quòd
cum causâ queat successor futurus
illicò agere, ut inquit memorat-
tus Aquila; ut meliori calamo no-
tatum extat, & in specie, (quæ
nostra est) quando possessor alium
nominat immediatum successorem
in præjudicium agere volentis, *ex*
Portug. Aquila proximè, Guer-
reir. de Divis. lib. 2. cap. 5. n. 89.
Quare etiam judicatum revocare
non dubito. Ulyssip. Orient. 29.
August. 1734.

Mello.

Hæc decisio optima est, &
quia frequens ista disputatio, hîc
habent plenè Advocati, Judice-
que.

DECISIO NONA.

De furto animalis in atrio: Utrum
Dominus atrii, seu vestibuli te-
neatur ad æstimationem solven-
dam, supposito, quòd ex ejus
consensu animalia introduceban-
tur?

Tu verò ex n. 1. usque ad n. 6.
vide materiam præsentem satis ex-
plicatam, & actiones competentes
in occurrenti casu, quin necessa-
rium sit Summarium ponere.

Istos estes autos, &c. Prova-
se que os RR. vivem em hu-
ma horta junto ao Socorro, em
a qual tem huma alpendrada com
argolas para prender as cavalgadu-
ras das faloyas, e mais pessoas, que
vem ao seu serviço a esta Corte; e
para as lavandeiras tem huma casa,

em q̄ recolhem os cargos da roupa
por certo estipendio, que de todos
recebem á entrega de huma, e outra
coufa, como affirmaõ as testemu-
nhas ex fol. e algumas contra pro-
ducentem, provando-se outroſin,
que a mulher do A. era huma das
que costumava fazer a mesma
guarda nos ditos lugares; e nestes
termos provando-se, que no dia
22. de Outubro, vindo a esta Cor-
te, e deixando a sua besta preza
em hum dos lugares destinados pa-
ra aquelle emprego, a naõ achou,
quando a vejo buscar, e na falta
da sua entrega estaõ os RR. obri-
gados ao seu valor; porque he
confórme a Direito, que o depo-
ſitario, que recebe com modo da
guarda, ou deposito, está obri-
gado á culpa levissima, e a prestar
toda a diligencia, assim como o
bom pay de familias; aliás a pa-
gar o valor da coufa, quando se
naõ prova caso absolutamente ac-
cidental; e para esta obrigaçao
naõ he precisa a entrega pelloal da
coufa; mas basta saiba, e a veja
estar no mesmo lugar das mais, pa-
ra na sua falta ter a mesma culpa.
E tanto assim o conheceraõ os RR.
que quando faltou a dita mula,
logo entráraõ com cuidado a bus-
calla, o que naõ fariaõ, se naõ se
reconhecessem assim obrigados,
termos em que os condemnão na
quantia de nove moedas de ouro
de quatro mil e oito centos reis
cada huma, menos hum cruzado
novo, que o A. declara terlhe cus-
tado; porque ainda que o deposi-
tario esteja obrigado em tal caso á
satisfaçao do justo valor, naõ está
porém incursão em mayor pena, por
naõ estarem estabelecidas por Di-
reito, e paguem os RR. as custas.
Lisboa Occidental 9. de Junho
1734.

Francisco Xavier Porcille.

Datâ

Data hac sententiâ, RR. appellavere; & fuit confirmata in Senatu, aliquibus Dominis disceptantibus, scriba Dominico Pinto da Silva.

Votum primum.

De immissione stabulum, seu in atrium, vel vestibulum appellantis, melius per ipsius appellantis testes, & recognitionem probatur, quam per appellatum. De furto utique non dubitatur, & neque ego dubito de obligatione praefati appellantis; nam stabularii, vel alii, qui mercede receptâ solent tenere hospitium, tenentur de furto, ablatis animalibus, etiam si eis consignata non sint, & immissionem ignorent: *Cabal. Resolut. Crimin. 70. usque ad n. 9. Bonacof. de Equis. q. 371.* & etiam si tale officium ex professo non exerceant, ut ipsi aiunt. Quare sententiam laudo, sed muli valorem liquidandum dico per peritos. Ulyssip. Occid. 3. Februarii 1735.

Costa.

Votum secundum.

Ego in contrariam sententiam abire cogor; arbitror enim appellantem non esse comprehensum in obligatione, quam habent stabularii, Nautæ, & Caupones; adversus quos duplex actio datur, alia *ex suscepso*, de quâ *in L. i. & tot. tit. ff. Nautæ, Caupon. & Stabul.* ut recepta restituant: alia *ex quasi maleficio*, de quâ *in L. Unic. & tit. ff furt.* adversus Nautas, Caupones, Stabularios; quia neque edocetur de recepto, neque probatur obligatio in appellante de custodiendo mulos in atrio, quod patens, & apertum erat; & quidem distinctum est ab obligatione stabularii, qui tenetur

custodire, & vigilare, ne furentur recepta, ex iuribus relatis, & *ex Ord. lib. 5. tit. 62. Cresp. de Vald. obs. 67. n. 1. & 2.* Neque adversatur ex ratione pretii recepti, quia censetur datum ad mundandum atrium à ferditie mulorum; non enim tenebatur appellans hoc facere suis expensis. Neque postremo probatur appellantem officium stabularii exercere; & sicut multa loca ad vendendum locantur, quin de furto teneatur locans; ita similiter censi debet locus, seu atrium appellati, ut quotidie observatur in nundinis, & in locis publicis, ubi vestiariæ venduntur, & pretia solvuntur; quapropter sententiam indubius revocarem. Ulyssip. Occid. 11. Februarii anno 1735.

Máriz.

Votum tertium.

Caupones juxta *Ord. lib. 5. tit. 64.* solum tenentur pro furtis, si omissunt diligentias statutas, quas, vel similes facere nequibat appellans ad custodiendam mulam appellati; & locus, quo positus fuit, solitus, & tutus reputabatur; unde licet furtum sit, valorem illius resarcire appellans non compellitur: *Farin. in Fragment. verbo Caupones, Nautæ, Stabularii, n. 36.* Et ideo proximo, & colendissimo Domino adhæreo. Ulyssip. Orient. 14. Februarii anno 1735.

Mello.

Votum quartum.

Potius placet primum arbitrium sequi: Ulyssip. Orient. 18 Februarii anno 1735.

Sanches.

Votum quintum.

6 **M**ichi satis probatur mercedem recipi pro equo immitendo, prout satis probatur adhuc per testem ab appellante productum fol. 39. & quamvis consignatus non fuerit alicui, sufficit, quod patiente stabulario fuerit intronis, vel quod viderit immiti, ut custodire, & nimis vigilare teneretur, ut per *Raynald. tom. 3. Observat. Crim. cap. 29. §. 1. 2. & 3. n. 7. & 8. de Luc. ad Gratian. cap. 677. sub n. 9. vers. Stabularius statim, & vers. seq.* Idcirco proximo, & priori Dominis sapientissimis accedo in confirmationem sententiæ: Ulyssip. Occid. 28. Februarii 1735.

Bacalhao.

DECISIO DECIMA.

(Seu mavis arrestum.)

Liquet ejus materia ex

S U M M A R I O.

1 & 2 *In judicio Capellarum Coronæ dat Ecclesiasticus fidejussorem ad expensas processus, & ad fructus in terminis nostris casis; licet lis principalis, & executio hic currere deheat.*

3 *Et fidejussor debet esse idoneus respectu quantitatis, pro qua fidejubet, & si est magna, titulos edere debet, quod est arbitarium Judici secundum materiam, de qua agitur.*

4 *Exceptio spolii, sive actio vis novæ etiam post annum, & diem habet locum ex restitutione, quæ competit Coronæ.*

5 *Regulariter tamen jus tertii non allegatur sine ipsius consensu; neque ubi datur remedium*

ordinarium, recurritur ad extraordinarium.

6 *De impedimentis oppositis cognoscitur saepe post decem dies, & tempus currit ex instanti, quo datur Advocato processus.*

In judicio Capellarum Coronæ aliqua suborta sunt dubia, sive incidentia in quoddam processu, contendente ex unâ parte illustrissimo D. D. Ludovico de Noronha Canonicô Patriarchali, & ex alterâ egregio Viro Joanne do Quintal Lobo Civitatis Elvensis, pro quo saepe patrocinium in gravibus causis fideliter gessi. Dicebam illustrissimum Dominum necessariò debere dare fidejussorem in prædicto judicio, non solùm ad certos fructus, de quibus agebatur, & ipsi interea solvendos, sed etiam respectu expensarum; Ecclesiasticus enim erat, & diversæ jurisdictionis, quibus in terminis generaliter militabat *Ord. lib. 3. tit. 20. §. 6.* & tradit judicatum *Peg. For. cap. 5. tit. 64.*

Advocatus adversus contendebat minimè fidejussorem dandum esse: quia cum quæstio esset de bonis Coronæ, illustrissimus Dominus non habebat fori privilegium, sed pulsari debebat, & exequi necessariò in isto Capellarum judicio, quod erat privatum aliis exclusis: *Ord. lib. 2. tit. 1. §. 17.* & sententia, siqua esset, solùm hîc exequi poterat, *Ord. lib. 2. tit. 7.* Unde velut sacerdotalis hoc eventu reputabatur, ac proinde alienus ab onere fidejussionis, deficientibus requisitis ab eius personâ remotis ad ea, quæ *Peg. For. cap. 14. ex n. 92.* Sed tamen obtinui, scribâ Joanne Teixeira da Costa, neque habet alium hoc judicium; & licet nostro tempore fuisset partitum officium, alter scribit super gravaminibus

nibus notoriæ violentiæ ad Regios Judices spectantibus.

- 3 Deinde diximus fidejussorem datum non esse idoneum, debebat enim titulos exhibere secundum illud, ad quod fidejussio dicebat respectum: *Farinac. in Prax. q. 33. n. 79. Barbos. ad Ord. lib. 3. tit. 20. §. 6. n. 6. cum plurimis Aylon ad Gomes 2. Var. cap. 13. n. 9. vers. Et generaliter.* Et ita non fuit recepta fidejussio data, sed alia de novo.
- 4 Proposuit etiam in praedicto processu pars adversa quamdam exceptionem spolii, & licet actio vis novæ sit intentanda intra annum, & diem, ut nostra disponit *Ord. lib. 3. tit. 48. in princ.* quod tamen ex processu non verificabatur, sed contrarium; dicebat ei dandam, & concedendam restitutionem, ex DD. cum quibus *Cordeir. de Interdict. dubit. 52. n. 8.* nemine dubitante Coronam frui restitutione, ut vel tonsoribus notum est.
- 5 Dicebam tamen non posse allegare jus tertii sine istius expresso consentiu: *Portug. de Donat. Reg. lib. 1. prælud. 2. n. 85. & 88. præterquamquod fiscus habebat remedium ordinarium vis veteris, & cum detur remedium ordinarium, non est recurrentum ad extraordinarium: L. Quædam in princ. ff. de ed. L. Cum sine 11. Cod. de Carb. Edict. L. In caus. 17. ff. de min. in terminis Menoch. de Recup. remed. 15. n. 12. Maurit. de in Integ. Restit. cap. 11. Sfort. eod. tract. p. 1. q. 17. Cald. in L. Si curat. verb. Per quod pristin. n. 16. & verb. Implorat. n. 9. Cod. de in Integr. restit. Recepta fuit exceptio.*
- 6 Quædam impedimenta in ipsis actis extra decem dies sunt formata. Dicebam non esse de illis cognoscendum: *Ord. lib. 3. tit. 65.*

§. 2. præcipuè cùm staret reformatio justitiæ, quæ minus indulget, contenta spatio viginti quartuor horarum, ut §. 17. de quo *Barbos. ad Ord. lib. 3. tit. 87. in princ. n. 3.* neque spatium currit, nisi à tempore, quo scriba tradit processum, ut per *Peg. For. cap. 1. n. 221.*

DECISIO UNDECIMA.

Utrum facultas nominandi data primis vocatis extendatur ad successores sequentes, sive ulteriores? Aliter: Utrum sit realis, vel personalis?

- 1 *Difficultas questionis notatur, & proponitur factum.*
- 2 *Facultas nominandi concessa primis vocatis ad successores generaliter extenditur: Qualitas electionis ancillatur maioratus successioni: omnes successores pro una persona reputantur.*
- 3 *Licet electio rispiciat conditio- nem, ista censemur repetita in substitutis.*
- 4 *Proponuntur AA. pro hac parte viriliter stantes.*
- 5 *Ex mente testatoris censemur facultas repetita. Vide Factum.*
- 6 *Alteri DD. contendunt facultatem esse personalem, & censeri electam industriam personæ; maximè, quando dantur substitutiones, quæ distinctio amplectenda est. Qui distinguit, accedit ad veritatem: Superfluitas vitanda est.*
- 7 *Judex in primâ instantiâ pro hac parte stetit, & ita judicatum in Senatum.*
- 8 *Votum primum proponitur.*
- 9 *Votum secundum.*
- 10 *Panditur tertium votum; & tu omnia vide, & nota ibi doctrinas excellentes.*

Difficilis hæc quæstio (me patrocinante) mota fuit ultimò in Senatu supremo super maioratu instituto à quoddam Gomes Vaz, qui tertiam bonorum suorum ultimo elogio vinculavit hisce verbis: *O que couber em terça, nomeyo a Simão Gomez, e Mathias Gomez em vinculo de Capella, em modo de Morgado. E aquelle, que falecer, ficará a seus filhos, qual elle nomear, e naõ nomeando, ficara ao filho mais velho, e morrendo sem filhos algum delles, se conjunctará esta fazenda.* Et deinde aliquas fecit substitutiones. Simon ille sine liberis discessit, Mathias autem quemdam ex suis minorem natu nominavit, qui cum moreretur, postea maiorem Mathias elegit. Iste autem cum natos non haberet, sororis Catharinæ filium nominando assumpsit ad prædictum maioratum, altero posthabito, qui alterius sororis (maioris respectu primæ jam dictæ Catharinæ) Mariæ nempe existebat. Primus virtute suæ nominationis ab avunculo factæ per multos annos Capellam possedit, donec in judicio Villæ Thomarenſis apud Judicem secundus ille nomine Emmanuel Gomez libellum proposuit, afferendo esse filium sororis maioris prædicti nominantis, & sic per Mariæ illius matris suæ vivam representationem excludi aperte nominatum, & successionis ordinariae regulam observandam: Ille autem Barros cognomine totis viribus insudabat nominationem avunculi subsistere contendens, ac viriliter *Advocatus* ingenio pugnans.

2 Allegabat enim terminanter facultatem nominandi concessam primis vocatis extendi debere ad successores, sequendo doctrinas, de quibus *Larr. Decis.*

Granat. tom. I. decis. 31. n. 12.
ubi latè videndus. Quippe electio concessa primis censemur nomine cæterorum, uti n. 14. tradit *lau-datus Larrea*. Qualitas enim illa juris electionis ferè ancillatur maioratus successioni, quæ semper ideo durare, & existere creditur: & subrogati ad maioratum in futurum omnes pro unâ personâ reputantur, & in omnibus maioratus repræsentatur, quare successori, & tanquam personæ intellec-tuali concessa electio, ad omnem debet successorem transire, nec potest cum primo extingui.

Neque dici potest, quod elec-tio respicit quodammodo conditionem, itaut censeatur conditionalis, quia adhuc in his terminis conditio imposita respectu primi votati censemur repetita in substi-tutis sequentibus: *L. Cum serv. 18. in princ. & §. I. de Condit. in-slit. L. Aviæ 76. de condit. & de-monstrat. cum plurimis Fusar. de Subslt. q. 449. & 450.*

Facit etiam, quia hæc opinio præterquamquod solidis nitatur rationibus, de quibus DD. qui eam eleganter pertractarunt, est probata à meliori calculo, ut vi-dere est apud *Marescot. lib. 2. Var. cap. 7. Phæb. decis. 80. n. 13. Gonz. in reg. 8. Cancel. glof. 12. n. 73. Gabriel. 2. tom. conf. 32. n. 10. Ricc. Collect. 161. Farinac. p. 1. Novissim. d. 1234. & 2. p. d. 733. n. 7.* Itaut possit ille, cui conceditur facultas nominandi, variare saepe, ut bene *Molin. lib. 2. de Hisp. Primogen. cap. 5. n. 38. The-saur. q. For. lib. 1. q. 65. n. 7. Surd. consil. 264. n. 28. Mer. de Maiorat. 1. p. q. 19. n. 5. Morl. in Emp. tit. de Jurisdicç. q. 17. n. 26. cum in-finitis Fusar. de Subslt. q. 510. Gam. d. 206. ex n. 9.*

Juvat pro hac parte, quod ista præsumptiva repetitio facultatis censem-

censetur ex mente ipsius testatoris, ut pulcherrime Alex. lib. 2. cons. 130. n. 1. Cùm etiam extensio possit admitti de casu ad casū, & de determinato ad non expressum: *text. in L. Quæsit. 13. ff. de test. ubi ita docet Papin. L. Si plures ff. de legat. 2. Molin. lib. 1. cap. 4. n. 14. Dec. cons. 190. col. 3. in terminis Guid. q. 485.* Et ad intentum conducebat quodammodo, quòd iste nominatus in nostra hypothesi erat Pronepos testatoris, qui testamento vinculavit bona, & sic dum electionem inter filios illorum sibi conjunctos admisit, videtur etiam approbare inter nepotes, ex illo jure, quòd appellatione filiorum veniant quandoque nepotes: *Dyn. de Succes. ab intest. col. 2. n. 6. Gom. in L. 9. Taur. n. 6. vers. Adde tamen. Gam. d. 317. n. 2.* Uni autem si essent, & alteri existentes, erant descendentes, secluso discriminé aëtatis, quod in his terminis videbatur parvi momenti; & certa est extensio datâ paritate rationis; quia ubi eadem ratio militat, censetur esse ipsam met dispositio Legis, & hominis: *L. Illud ff. ad Leg. Aquil. L. a Titio ff. de verbor. obligat.* & in tali casu non dicitur propriè extensio, sed comprehendit: *L. Illud Cod. de sacrosanct. Eccles. Grat. For. tom. 5. cap. 918. n. 66.* & per rationem voluntates considerentur: (*quia poterat ff. ad S. Consult. Trebel. Giurb. in Consuetud. Senat. Messan. cap. 6. glos. 7. n. 2.* Hæc pro parte rei erant fundamenta; ultimum tamen, ut nunc noto, alienum sanè.

6 Sed pro aëtoris parte plurima etiam obstabant non minoris ponderis, & sic contendebat acriter facultatem nominandi esse personalissimam, atque censeri electam personæ industriam, ad quod exaravit verba Molinæ de Primogen.

lib. 2. cap. 4. n. 62. & citavit Peg. de Maiorat. tom. I. cap. 6. quæ quidem personæ industria dum bene explorata censetur in primo, cui facultas illa conceditur, non ita dici potest respectu successorum futurorum, quos instituens noscere non potest. Denique distinguebatur: aut enim testator substitutiones fecit, aut non? Si primum, apertè nego extensionem, amplectendo distinctionem, de quâ Larr. quem citat Peg. de Maiorat. dict. tom. I. cap. 6. & ita asserebam hanc distinctionem unanimiter servandam, & secundum eam judicandum, quia Doctor distinguens magis accedit ad veritatem, ut bene Sabel. in Summâ tom. I. lit. D. §. Doctor n. 13. Guerreir. de Muner. Judic. Orphan. tract. I. ad 3. p. Ruhric. n. 118. Et hoc etiam, ne admittamus superfluitatis vitium in verbis instituentis; quia omnis superfluitas excludi debet in tali casu ex cap. Si Pap. de Privileg. lib. 6. L. I. in princ. ff. de commodo, & pericul. rei vendit. quod quidem in nominationis terminis videntur expelle sequi Mantic. de Conjectur. ultimar. volunt. lib. 3. tit. 6. n. 1. Castilh. lib. 4. Controv. cap. 38. n. 1. Valenz. cons. 113. n. 83. Et cùm in nostro casu invenirentur illæ substitutiones factæ, ideo concludenter asserebat Actor nominationem personalissimam esse, & cessare doctrinas, quæ pro alterâ parte allegabantur.

Senatus placitum.

V Eritas quidem est, quòd Judent in primâ instantiâ sententiam pro aëtore dedit, quam sapientissimi Patres confirmaverunt, sequendo illam Larreæ distinctionem, Notario hujus processus Francisco Correa de Moncada,

(Viro

gust. 1734. *Teixeira.**Votum secundum.*

(Viro nobili, ac veritatis tenacissimo, & conscientiae timoratae, & ideo multis digno elogiis) die 27. Novembr. 1734. Et fuerunt Senatores egregii ita incidentes, Domini; *Antonius Teixeira Alvares*, sublimis eruditionis Heros, atque incorruptae integritatis; *Joannes Marques Bacalba*, Vir ad omnia summa natus; *Emmanuel de Almeida de Carvalho Lusitani nominis gloria*, atque exterorum æterna invidia. Aureas uniuscujusque litteras transcribere libet, melius cedro notandas, aut lapidi incidendas in æternam sapientiae gloriam, atque futurorum admiracionem, & exemplum.

Votum primum.

9 **S**ententiam confirmo, siquidem attentâ institutionis formâ, facultas nominandi data primis administratoribus fuit personalis, & non realis, concessa nominatim Simoni, & Mathiae, & ad alios administratores extendi non debet; quia institutor postea substitutiones fecit, & descendentes indefinite vocavit, & omnes consanguineos; quibus in terminis facultas nominandi personalis est: tradit terminanter *Larrea d. 31. n. 19. Amaya ad text. in L. Nullus Cod. de decur. lib. 10. Peg. de Maiorat. cap. 6. p. 387. Gabriel Per. d. 2. n. 4.*

Hoc supposito, cum inter descendentes ab institutore repræsentatio in infinitum locum habeat juxta *Ord. lib. 4. tit. 100. Gabriel Per. decis. 5. & 59. n. 7. 116. Sous. de Maced. d. 16.* & appellatus filius sit Mariæ Gomez, quæ senior erat appellantis matre, de quo non dubitatur, in maioratu regulari certè proferri debet, ad ea, quæ *Sous. de Maced. supra n. 7. & ita judico. Ulyssip. Orient. 3. Au-*

Difficilis sanè quæstio nobis 9 proponitur, an maioratus successio sit regularis, an vero perpetuò electiva, quia facultas ab institutore primitus vocatis concessa nominandi, quem mallent ex filiis, ad omnes sit transitoria succeliores; an vero personalis fuerit, & primâ expiret nominatione? In quâ non modo DD. in diversas scinduntur sententias, sed etiam Senatus nostri contrariæ prodierunt opiniones, ut notatum jam fuit apud *Peg. de Maiorat. cap. 4. n. 436.*

Et sane quæstio hec voluntatis dicitur, non potestatis, hoc est, an voluerit testator, quia si voluit, potuit, ut per *Card. de Luc. tit. de Fideicom. discurs. 56. n. 4.* quasi videatur testator elegisse in ipso disponendi actu, quos gravatus elegerit, ex juribus, & DD. ad ductis per *Oleam de Cess. Jur. tit 3. q. 1. n. 44.*

Hanc igitur testatoris voluntatem non aliunde, quam ex verbis testamenti conjicere, & interpretari licet; frustra enim attenditur voluntas, quam verba non patiuntur, ex *L. Si quis in fund. vocabul. ff. de Leg. 1. L. Titia cum testam. in princ. ff. de legat. 2.* nec enim censendus est plus voluisse testator, quam dixerit, ut per *Manic. de Conject. ultimar. voluntat. lib. 3. tit. 19. n. 5. Fusar. de Substitut. q. 276. n. 13.*

Quo quidem animadverso, ex verbis testamenti fol. mihi satis innotescit facultatem illam nominandi fuisse personalem, & restriktam ad eligendum inter filios primorum nominatorum, non vero ad ulteriores porrigi successores; quod mihi satis elicetur ex clausula

lâ illa: *E morto algum filho destes nomeados, que tenha algum neto do filho morto, irá sucedendo igualmente por linha direita, & iterum, não entrando elles na dita cerrada, salvo se a geração destes por linha direita faltar; porque então irá ao parente mais chegado esta cerrada, que tomo em minha terça.*

Quæ quidem clausulæ mihi certè significant testatorem exclusisse nominandi facultatem ultra filios primitus invitatos, cùm ad illos casus reddatur inapplicabilis; quia in primo nepos ex filio nominato præmortuo necessariò vocatur, & electio officium suum perdidit; cùm ille nepos vocationem habeat specialem; prout etiam verificari non poterit in secundo casu, quando scilicet prole non existente primitus invitatorum, proximior consanguineus vocationem habet; & per has particulares substitutiones, & providentias cessat electio, & ad primos vocatos proprio nomine restricta censetur, ut bene distinguit Larrea a docto appellati Patrono allegatus, & extra illum casum ad alios non extenditur, nec fas erat ultimo administratori ordinem regularem succedendi alterare, uni gratificando, *ad L. Cum ita §. In fideicommiss. ff. de legat. 2. & comprobat Peg. de Maiorat. cap. 2. n. 34. Card. de Luc. tit. de Fideicommiss. discurs. 56. n. 3.* ac proinde datâ linea gradus, ac sexus paritate, prævalet ætas, ut idem comprobat Peg. d. cap. 2. à n. 34. & seqq.

Nec aliis succedendi ordo, vel observantia probatur, nec adhuc casum similem evenisse constat, cùm per quadraginta annorum saltem spatium, & aliquos actus ulterius ita succedendi probari debeat, ad tradita per Per. d. 21. n. 8.

& ideo cum proximiori Domino sapientissimo sententiam statuo, restrictâ tantum fructuum condemnatione ad tempus litis cum appellato contestata, nec alios acquirire potest; quia fratris actoris originarii hæres non probatur, immo illius hæreditatem repudiasse constat fol. Ulyssip. Occid. 27. Septembr. 1734.

Bacalhao.

Votum tertium.

QUANDO, ut in præsenti insti-tutione fol. post nominandi facultatem concessam primis vocatis, institutor plures fecit substitutiones, & vocationes successorum maioratûs, sæpe sæpius judicavi talem nominationem esse personalem, & realem, sequendo doctissimi *Larreæ Disin-ctio-nem dec. 31. n. 19.* Idecirco judicatum laudi cum sapientissimis sodalibus, & proximiori assentior in fructuum condemnatione à solo tempore contestationis. Ulyssip. Orient. 21. Novembr. 1734.

Et ita exarata fuit sententia, & confirmata prima boni Judicis Josephi de Lemos Pacheco, quem diu fata servent in columem.

DECISIO DUODECIMA.

(Seu mavis arestum.)

Tu verò ex n. 1. usque ad n. 6. vide explicatum, quando impedimenta opposita debeat mandari ad Judicem Deprecantem? Apud quem litigare debeat Promotor Captivorum? Nota privilegia istorum, & eorum bonis concessa; & quales sint Judices competentes pro eorum gazâ? Et hoc pro Summario interea dixisse sufficiat, arresto enim, satis, & plenè, Le-ctor, habes?

Quod.

Quoddam dimanavit precatorium à Judice Orphanorum Civitatis Sancti Salvatoris in Brasiliâ, ut citaretur quidam Emmanuel Pinheiro, & etiam Promotor Captivorum, ita petente Gabriele da Rocha. Fuit præsentatum, & positum in judicio Prætoris Curiæ, vulgo *Cunprase*. Ille Pinheiro voluit audiri, & dixit non posse cogi ad respondendum in illâ Provinciâ, sed immo potius, cum quæstio esset de hæreditate cuiusdam Lamberti, quæ captivis fuit adjudicata, ventilandum omne erat in privativo judicio captivorum in hac urbe, & ita conclusit per viam impedimentorum, quæ tamen Prætor remisit ad Judicem deprecantem. Tunc Promotor petivit audiencem, fundatus in eo, quod non erat obligatus ad respondendum extra suum judicium, causæ enim captivorum privative spectant, seclusis aliis, ad judicium Mampostariæ, & hinc per gravamen, seu appellationem ad Senatores Judices ipsorum captivorum, neque alius Minister de his causis cognoscere potest secundum formam *Regiminis cap. 7. & 17.* Et addebat Promotor se esse fiscalem, neque cogi posse litigare extra judicia patrimonii Regii. Unde cum in his terminis notorius esset defectus jurisdictionis in Deprecante, prelatorum adimpleri non debebat: *Peg. For. cap. 11. n. 7. & 8. cum aliis*; sed poterat cognoscere Dominus deprecatus; & sufficiebant bæc, & quod in his terminis Promotor haberet interesse, aut solum fuisset assistens: *Peg. tom. 3. ad Ord. lib. 1. tit. 7. §. 16. n. 2. cum seqq. & tit. 10. §. 8.* sive sit nova actio, sive incepta alio judicio, ut cum *Larrea advertit Peg. supra d. n. 2. & lib. 1. tit. 13. §. 3.* ita ut contrario observato,

omne reddatur nullum: *Peg. ubi proxime §. 1. n. 3.*

Neque dici potest, quod supradicta procedunt respectu solum Procuratorum regalis patrimonii, & Coronæ, quia captivorum gaza est æquè privilegiata, & utpote regalis; & captivi sunt Coronæ ipsius donatarii specialissimis privilegiis induiti; quapropter olim illorum causæ æqualiter in judicio Coronæ versabantur, ut bene netat *Peg. ad dict. Ord. lib. 1. tit. 9. §. 6. n. 2. cum seqq.* & loco istius judicij concessit eis Maiestas Regia peculiares Judices cum suo fiscali, qui fuerunt sic subrogati, & vulgaris est regula subrogatum sapere naturam subrogantis. Et hoc habet tantam vim, ut ipse Promotor non possit etiam condemnari in expensis, ex Decreto exarato in libro 11. Decret. Domus Supplicationis fol. 12. & sic æquè dispositum est de istis omnibus.

Instabat Advocatus Rochæ, quod licet hæreditas, de quâ quæstio, fuisse adjudicata captivis; attamen quia hæreditas non dicitur, nisi deducto ære alieno: *L. ex facto §. Unde ff. de hæred. instit. L. 1. §. Denique ff. ad Trebel. L. Si univerſ. ubi DD. Cod. de legat.* non implicat cursus in alio judicio respectu illius, quod non est ipsa hæreditas, seu ex bonis hæreditariis. Sed hoc frivolum argumentum aperte erat; & ideo; quia diminui poterat, constabat interesse captivorum. Quonam ergo judicio, nisi in suo pulsandi erant?

Fundabatur etiam iste Advocatus in illâ generalitate, quod impedimenta opposita remitti debebant ad deprecantem *ex text. in L. Si quis ex aliena ff. de judic. Cabed. 1. p. d. 49. Themud. p. 1. d. 79. n. 6. Larr. d. 82. & n. 3.* Sed iam diximus hoc non habere locum, si

si constet notoriè de defectu, & ita sæpe judicatum ego vidi, & multoties allegavi.

5 Arguebat ulterius, quòd si aliquis denuntiator causam move-ret contra possidentes hæreditatem ad captivos spectantem, tunc pro-prium habere locum illud priva-tivum Judicii, minimè verò res-pectu litium, & executionum, quæ in Brasiliâ pendent, quia de-bent currere in judicio incepto, *ex text. in L. ubi cæpt. ff. de judic.* quia captivi non successerunt in debitibus, quæ manifeste non sunt hæreditatis. Et addebat execu-tiones fieri debere in loco domicilii, & ubi assistunt condemnati: *Cabed. p. 1. arest. 28. Mendes a Castr. in Prax. 1. p. lib. 3. cap. 21. §. 2. n. 8.* primus autem citatus illic erat domiciliarius; & absurdum erat, quòd pignoratio fieret in Brasiliâ, bona autem hîc sub hastâ essent. Ulterius, quando aliquis litigans è vitâ discedit, non est necesse ha-bilitare hæredem, sed sufficit ci-tare *ex Cabed. 1. p. d. 197. n. 11.* & sic continuari necesse erat cau-sam in illo judicio cum primo reo citato, præcipuè; quia execu-tiones perpetuatæ, ut aiunt, non sum subiectæ privilegiis, neque in illis attenduntur declinatoriæ, & impedimenta, si qua sunt ter-tii, licet Clerici spectant ad ju-dicium executionis, argum. *Ord. lib. 2. tit. 1. §. 8. Peg. For. cap. 5. n. 64.* & respectu declinatoriæ est indubitable: *Phæb. 1. p. arest. 54. Barb. ad Ord. lib. 3. tit. 5. §. 3. cap. 28.* & *ad Ord. lib. 1. tit. 8. §. 10. n. 1. Barbos. in L. Hær. absens in princ. n. 65. ff. de judic.*

6 His tamen minimè refragan-tibus, licet Prætor Curialis impe-dimenta remitteret, & primò non fuisset provisum gravamen ab eo interpositum, nisi quatenus in ex-pensis condemnabatur Promotor,

attamen per secunda opposita im-pedimenta in Senatu fuerunt ista judicata pro probatis, & meritò quidem decrevere Domini Senato-res omnem decisionem causarum captivorum spectare ad istorum Judices, quos nominat Rector Ju-stitiæ, si non sint nominati a Re-ge, ut fuerunt aliquando præcla-rissimi DD. Antonius Lopes de Carvalho, atque Alexander Fer-reira hodie in Tribunali Conscien-tiæ Senator egregius, qui olim Iberos admiratione implevit; & qui radiis scientiæ coruscans sæpe ignorantia fugavit tenebras Magi-ster eximus. Pro conclusione au-tem istius materiæ sciendum est, quòd cùm per regiam donationem bona spectent ad captivos, idem est, ac si fisco acquirirentur, ut bene *Portugal de Donat. lib. 1. tit. 21. §. fin.*

Hoc sufficiat dixisse, Notario Martino Camacho da Rocha anno 1725. Dixisse, inquam, alium; hoc enim tempore adhuc non eram Advocatus.

D E C I S I O.

De gratiâ concessâ ad appellan-dum, elapso termino; & de im-pedimentis oppositis obrep-tionis, & subreptionis. Utrum talis gratia tertio afferat præ-judicium?

A Ppellavit quidam nobilis 1 Vir Emmanuel Toscanus de Valconcello ab unâ tententiâ, & quia non fuit prosecutus dictam appellationem intra Legis termi-num, petivit Provisionem, quam sæpe sàpius concedunt Senatores Palatini, auditâ parte, quæ ter-mino trium dierum respondet. Hoc posito, ecce venit alter litigans nobilissimus Heros Franciscus Ca-bral Correa de Lacerda, & oppo-nit

nit impedimenta obreptionis, & subreptionis apud Judicem, qui sententiam protulerat; & deducebat ejus *Advocatus* notissimus Vir Ambrosius Ribeiro Godinho, Philosophiae insignis Professor, & Doctor acutus, illam obreptionem, & subreptionem ex variis circumstantiis, quas ingeniose, ut solet, aureo calamo proponebat; & nobis hic non est animus ipsas in medium adducere; multæ enim fuere. Provisor Capellarum, & Residuorum judicavit probatas exceptiones, & illam primam sententiam suo robore esse jussit. Toscanus verò ab illo appellavit, & sic duæ appellations venere simultaneæ ad Senatum supremum inter easdem partes, & eodem processu; hæc nempe secunda, & prima virtute Provisionis; sed quia de illâ solum tractatum fuit primo, hoc est, de obreptione, de hoc punctum, & sermo erit.

2 Dixi ego pro parte Toscani, quod tales Provisiones, ut ex ipsarum tenore constat, non conceduntur, nisi auditâ parte, & intra dies illos respondentे, vel Judice informante, & sic non possunt expeditæ argui simili vitio, neque ex tali principio obreptionis, aut subreptionis: *Jas. & Paul. in L.* Et si cognit. *Cod. Si contra jus, vel utilit. public. Bald. in L. Praescript. Cod. eod. Soccin. conf. 169. Bursat. conf. 177. n. 10. & 12. cum aliis Giurb. conf. 57. n. 23. Bartol. in L. Conficiunt 8. n. 3. ff. de jur. Cod. cuius Doctoris opinio sequitur saepe ut Lex in nostro Regno ex Ord. lib. 3. tit. 64. §. 1. Allegabam etiam Provisionem extractam vim Legis habere: *L. 2. Cod. de Leg.* & vim definitivæ sententiæ: *Omm. in process. Judic. disp. 7. n. 11.**

3 *Advocatus* contrarius fundatur in *Ord. lib. 3. tit. 70. §. 3.* ex

quâ colligebat Toscanum ulterius non posse sequi appellationem transacto maiori spatio, nempe anno, & sex mensibus, quod hoc casu verificabatur, & fuerat appellatio judicata deserta, quod tamen Toscanus exposuerat. Pro isto judicatum fuit ita, & posita quædam declaratio, quam nota, ut scias hanc gratiam tertio non afferre præjudicium.

Votum primum.

IN hoc processu duplex est ejusdemmet appellantis appellatio, prima respicit sententiam latam super negotio principali, ad cujus prosecutionem obtenta fuit Provisio Regia fol. secunda verò respicit sententiam fol. latam super exceptionibus a fol. nullitatis, subreptionis, & obreptionis ad Regiam Provisionem supradictam: de istâ pro nunc tantum nobis dicere fas est, reservatâ alterâ in suum locum. Et imprimis dico, quod nulliter se gessit Provisor permittendo appellato fol. facultatem, ut posset contra Provisionem dictas proponere exceptiones, & eadem nullitate eas decidit in eâdem appellatâ sententiâ dicto, fol. Quod patescit, eo quod tunc temporis jam appellatio virtute dictæ Provisionis erat recepta, quod patet fol. & fol. virtute decreti Senatus, quo casu cùm prædicta Provisio Regia jam suum fortiretur effectum, suspendi non poterat, ut tradit *Peg. For. cap. 18. n. 51.* & causa affecta superiori, ex eod. *Peg. For. cap. 15. n. 30.* quod mihi satis erat, ut judicatum reformatum; maximè cùm ex eadem Regiâ Provisione constet, quod ad illius concessionem fuit appellatus auditus, quo casu non habet locum obreptio, & subreptio ex sententiâ *Bartol. in L. Con-*
fic.

fic. 8. §. 2. n. 2. ff. de jur. Codic. Giurb. conf. 57. n. 23. nec perleatâ supplicâ, aliquod invenitur minus actis conforme, ut difficilis redde-
retur gratiae concessio, ut bene ponderatur in appellantis perora-
tionibus. Quod ultimò pro appelle-
lato dicitur ex allegatâ *Ord. lib. 3.*
tit. 70. §. 3. in eâdem solutio in-
venitur ibi: *Sendo primeiro o ap-
pellante requerido para dizer, se
teve justo impedimento, &c.* de
cujus requisitione non edocemur.
Reformetur igitur judicatum. Ul-
lyssip. Occid. die 21. Aprilis 1734.

D. Coelho.

Votum secundum.

Convenio cum sapientissimo Sodali in reformatione sententiæ fundatæ in juramento fol. malè delato; quia in præsentiarum non ostenditur observata forma Legis, quod sufficit, ut pro nullis, & infectis judicentur, quæ contra ejus dispositionem facta sunt: *Peg. ad Ord. tom. 1. tit. 2. gl. 55. n. 3. §. 7. cum tit. 78. §. 14.* quæ nullitas est qualificata; quia facta, vel verba nullius roboris inducunt nullitatem ipso jure, ut cuni multis *Grat. For. cap. 691. n. 2. & seqq.* cùm appellatio-
nis ea sit natura, quòd sententiam latam ad superiorem devolvat, eamque attento præsenti statu extinguit, & respectu futuri in omnibus suspendat: *Giurb. d. 19. n. 2. Melin. de Induc. debit. q. 14. n. 29. Parex. de Instrum. Edict. tit. 3. resol. 1. n. 26.* taliter, ut in hypothesi præsenti attingit ex appelle-
tâ sententiâ fol. quare nec in principali, nec in accessorio Judex, a quo aliquid disponere poterat: *August. Barbos. in Re-
pert. verbo Appellatio pag. 16. Scac. de Appell. q. 17. limit. 47. n. 42.* Totus infudat appellati Pa-

tronus in demonstrando, quòd vir-
tute *Ord. lib. 3. tit. 70. §. 3.* ex
appellatione non prosecutâ intra
annum secundum formam *Auth.*
*Ei qui appell. Cod. de temp. appelle-
lat. & cap. Cum sit Roman. 5. cap.*
Ex ratione 8. de appell. non posse
à Judicibus, vel à partibus tacito,
vel expresso eorum consensu pro-
rogari: *text. in L. Nemo in princ.*
Cod. de tempor. appell. attamen
cùm appellans requisitus non fuit
ad causæ desertionem ad alleganda
impedimenta, ut non haberetur
pro desertâ, quia poterat excusa-
ri aliquâ justâ causâ, ut eleganter
Costa annot. 5. n. 28. Marant. in
Pract. 6. p. tit. de Appellat. n. 410.
in dubio non præsumitur applica-
tio deserta: *Vel. dist. 41. in fin.*
Barbos. ad Ord. lib. 3. tit. 70. §.
3. n. 7. quapropter non concludit,
ut meritissimi Provisoris sententia
sustineri possit, & cum sapientissimo Domino, Magistro meo
jus reservo quoad primam applica-
tionem, ac ita placet: Ulyssip.
Occid. 9. Junii anno 1734.

Salter.

Votum tertium.

Observo in primis negotium
cadere super impedimentis
fol. receptis fol. & improbatis per
sententiam fol. à quâ appellatio
fol. est suscitata virtute diplomatis
fol. Est inde quæstio, laboret
nec ne obreptione præfatum di-
ploma? De Provisoris potestate
nec dubitarem; quia licet appelle-
tione receptâ, ligatæ supersint
judicantis manus; adeo ut recep-
tionem amplius revocare non pos-
sit: *Ord. lib. 3. tit. 73. & tit. 65.*
§. 1. Faria ad Cov. Pract. cap.
*23. & 24. Latè Albitius de In-
const. in judic. q. 41.* hæc tamen
regula suas patitur limitationes;
quarum una est respectu tertii:
Ll ii Can-

Cancer. 2. *Var. cap. 3.* n. 87. quialis noster est appellatus, siquidem impedimenta præfata solum Judicii procuratori offendebant, & solius ille contestatus est fol. & cum eo solum incidens istud peractum fuit. Alia etiam limitatio datur, quoties scilicet adversus receptionem legales objiciuntur exceptions, quia adhuc vacillat receptionis, si credendum *Cost. de Styl. domus supplicat.* pag. 226. maxime, quando pars docet appellationi a jure locum prohibitum: *Salgad. de Reg. Protect.* 3. p. cap. 18. à n. 23. Aliam in nostrâ hypothesisi admisi jam Senatus limitationem circa obreptionem, quia ista deduci jubet Lex coram magistratu, cui præsentatur diploma, in 2. tit. 43. juvantque ea, de quibus *Albitius supra n. 21.* Quia tamen hæc gratijsa rescripta facile concedi solent, æquum est, quod appellandi facultas non coangustetur, & etiam cum Dominis meis judicatum reformarem, ad hoc ut appellatio interposita prosequatur. Ast cum appellans rescriptum, inaudito appellato, impetraret, & in occulto celaret, quod virtute executionis ob appellationem desertam villa sub hastâ vendita eslet, & jam penes tertium; declararem, quod præfacta subhastatio suo maneret in robore, quoisque ista definatur appellatio; nam Principis gratijsa rescripta tertio non auditio præjudicium non afferunt, & maximè si tertius possidet: *Larrea alleg.* 43. à n. 6. *Tondut. Civil.* cap. 42. *Aylon ad Gom.* 3. *Var. cap. 13.* n. 40. *Pascal. de Virib. Patr. Potest.* p. 1. cap. 8. *Marin.* 2. p. d. 487. *Merlin. dec.* 125. *Phæb. d.* 122. & alii passim, hocque cum moderamine utriusque justitiae providetur. Ulyssip. Occident. 21. Junii 1734. *Costa.*

Huic tertio voto sapientissimo, & quod plura habet notabilia; distinctiones, limitationes, & doctrinas egregias adhærent duo Domini subsequentes in isto processu, quo sic judicatum fuit anno 1734. scribâ Hieronymo de Almeida de Carvalho. 7

SUMMARIUM.

- 1 *Proponitur factum.*
- 2 *Provisiones expeditæ, auditæ prius parte, non possunt argui vitio obreptionis, aut subrepotionis.*
- 3 *Appellatio sæpe judicatur deserta, si pars eam non sequitur*
- 4 *Votum primum hic habes, & vide doctrinas excellentes.*
- 5 *Secundum votum relucet in casu figurato.*
- 6 *Tertium hic habeto votum, & mente teneto, habet enim in se plurimas doctrinas mirabiles, & magisraliter in illo præsens materia explicatur.*

CONSULTATIO I.

Utrum pater removeri possit ab administratione maioratus propter dilapidationem? An hoc casu ex redditibus in vita ipsius patris a filio perceptis teneatur parentis creditoribus satisfacere?

Quidam nobilissimus Vir hujus civitatis penitus dissipavit bona cuiusdam maioratus, in quo fuit primus administrator, & ad illum primo loco vocatus, & descendentes ex illo: De dissipazione nullum dubium de facto erat, plurima enim mòbilis summi ponderis vendidit, quæ fuerat vinculata, & pecunias ingentes prodigus veluti in mare proiecserat. Filius

Filius huic erat summo ingenio præditus, qui dudum hæc notabat, crescentibus in diem calamitatibus, & parentis pessimâ administratione, jam enim multis debitis, æreque alieno erat gravatus: Duo a me in his terminis sunt quæsita: Utrum scilicet pater ab administratione removeri possit? Et an filius creditoribus parentis viventis teneretur satisfacere ex fructibus ipsius maioratus.

2 Ad primum indubitanter dixi, & resolutivè, quod pater, qui habet usumfructum in bonis adventitiis filii, vel possidet fideicommissum, aut maioratum, ad quem post ejus mortem filius vocatur, si male, & fraudulenter egit, restituere ipsum tenetur filio suo, vel successori ante mortem, & adventum conditionis, ad quod pondrabam textum famosum in L. Imperator 50. ff. ad Trebel. de quo latè Pinell. in L. 1. p. 2. n. 23. cum seqq. Fusar. de Substit. & Fideicommiss. q. 519. per tot. Surd. de Aliment. tit. 9. q. 25. ex n. 57. Cost. de Remed. Subsidiar. remed. 4. à n. 1. Pacian. conf. 83. Molin. de Jusit. & Jur. tract. 2. disp. 228. Ascan. Clemens in tractat. de Patriâ potest. cap. 6. effect. 12. n. 14. Bursat. conf. 133. n. 56. lib. 2.

3 Et dicebam hoc procedere, licet pater offerat postea cautionem, & fidejussionem de bene administrando: Paschal. de Virib. Patriæ Potest. p. 1. cap. 2. n. 92. bene Escob. de Racion. cap. 6. n. 3. Boer. d. 61. n. 14. Giurb. ad Consuetud. Senat. Meff. p. 1. cap. 7. glos. 17. n. 4. & glos. 3. n. 33. Et ulterius afferebam, quod in hac dilapidatione non est necessaria fraus, & dolus ex proposito, sed quod sola culpa, & dolus re ipsâ sufficiat inductus ex manifestâ alienatione, & dissipatione, ut optimè Ruin.

conf. 23. n. 14. lib. 5. Cephal. conf. 113. Menoch conf. 1220. n. 2. Fajar. de Fideicommiss. q. 519. n. 4. sive pater dilapidet agendo, & committendo, sive omittendo; quia sola ipsius negligentia sufficit, ut ab administratione removeatur: Gutier. in tract. de Tutel. cap. 3. n. 4. Noster Pereir. d. 48. n. 15. ubi ait, quod dolus prædictus non ex solâ machinatione, sed ex re ipsâ colligitur.

Ad secundum dixi, patrem privatum administratione prædictorum bonorum, privari omnijure, quod in illis habebat, & nominatim usufructu, ita ut propter bonorum dilapidationem finiatur, & extinguitur in ejus personâ, non secus ac extingueretur per mortem ipsius, & probatur hoc manifestè, ex ead. L. Imperat. quam supra allegavimus; ubi parens propter dissipationem privatur fideicommissio, atque filio applicatur, itaut filius ex ejus fructibus alimenta prostet patri, si sit inops; de quo dubitari non potest: Morot. conf. 18. n. 29. Fontanel. de Paet. Nupt. claus. 4. glos. 9. 5. p. n. 29. & glos. 22. n. 28. Grat. Discept. 519. n. 39. Et quod talia bona pleno jure filio applicentur per dilapidationem, non expectatâ parentis morte, ipsique acquirantur, tradunt scribentes in d. L. Imperat. ut observat ibidem Alexand. n. 5. Molin. de Primogen. lib. 2. cap. 16. n. 17. Surd. conf. 116. ex n. 24. ubi plurima adducit fundamenta.

Et quamvis hoc durum videatur creditoribus, qui habent hypothecam, quam velint conservare illæsam, itaut nullum eis resultet præjudicium, a supradictis non recessi; quoniam filius, cui ob dissipationem, & dolum re ipsâ patris fuerunt bona adjudicata, non tractat de excludendis creditoribus

toribus patris, neque opponit in his terminis de aliquâ hypothecâ propriâ; nec eam prætendit in fructibus talium bonorum, quia nemo in re propriâ hypothecam habere potest; & res sua nemini servit: Ast creditores patris excludit alio ex capite, nempe per extinctionem, & resolutionem hypothecæ ipsorum creditorum, cùm ex privatione ususfructus, & commoditatis, eorum hypotheca simul resoluta remansit, cuius defectu jus nullum possunt prætendere contra filium; & ita tu tene, salvo semper meliori judicio.

SUMMARIUM.

- 1 *Proponitur factum hujus consultationis.*
- 2 *Pater, qui habet usumfructum in bonis adventis filii, vel possidet maioratum, ad quem post ejus mortem filius vocatur; si male agit, restituere tenetur ante adventum conditionis.*
- 3 *Neque liberatur pater, si offerat cautionem, & fidejussionem de bene administrando: In hac dilapidatione non requiritur expressè fraus, aut dolus: sufficit alienatio, & factum præjudiciale, aut mera negligencia.*
- 4 *Pater privatus in nostro casu illâ administratione, privatur consequenter omni jure, quod in bonis habebat, & nominatim usufructu. Ideo bona pleno jure filio dantur, non expectata parentis morte.*
- 5 *Creditores patris hoc casu non conservant hypothecam illæsam, & vide modum, quo filius excludit illos.*

CONSULTATIO II.

Ad intelligentiam *Ord. in 3. tit. 45.* in casu figurato.

Utrum Emptor, qui venditorem suum non vocavit ad causam defendendam, quando tertius venit, & petit rem venditam, ac ita omisit denunciationem, sciens rem defendi non posse; postea possit a venditore petere pretium?

Quidam Colimbræ incola sumptuosas domos ingenti pretiò a Dominico Pirez ejusdem civitatis possessas emit. Ecce tertius venit post aliquot annos intentans reivindicare; & in principio controversiæ tales edidit titulos, quibus vinculatas esse probabat; quòd ille emptor a Patronis certificatus de justitiâ causam moventis, tantummodo per contestationem negativam respondebit, & quod magis est, denunciationem omiserit, debebat enim vocare venditorem suum, ut litem defenderet, de quo habemus expressam *Ordinationem in 3. tit. 45. §. 2.* itaut hac diligentia neglectâ, non possit obligare emptor venditorem ad pretium restituendum, & ad damnâ provenientia, ex eo quia sublata fuit res, ut omne disponit prædicta *Ordinatio Lusitana*; & ita quæsum fuit a me: Utrum non obstante prædictâ Legi, & quòd vendor non haberet notitiam causæ, posset emptor ab illo petere pretium; constabat enim plenè, rem defendi non potuisse?

Pro parte negativâ plurima obstabant fundamenta; siquidem Lex nostra denunciationem, absolute exigit nec excipit hunc casum, de quo loquimur: at verò ubi Lex non distin-

distinguit, nec nos distingui de-
bemus, ut satis vulgare de jure est:
Ita censem *Bartol.* & *Salicet.* ad
L. Emptor ff. de act. empt. Angel.
Aret. in §. ult. *Inst. de empt.* &
vendit. Dec. conf. 74. ad fin. qui
omnes in nostris terminis loquun-
tur.

³ Ulterius: Lex præsumit pro-
sententia Judicis, & esse justam
fatetur: *L. Herennius* §. *Caia ff.*
de evict. Et tamen re evictâ per
Judicis sententiam, actionem em-
ptori non concedit evictionis no-
mine, nisi is venditori litem de-
nunciaverit: *L. Empti actio*, *L.*
Si parentes Cod. de evict. ergo
Lex non considerat justitiam, vel
injustitiam causæ, sed an denun-
ciatio facta fuerit ipsi venditori.
Ergo neglectâ hac diligentia,
nullum emptori dabimus recur-
sum. Adde aliud argumentum:
Cùm res evincitur, nullâ denun-
ciatione factâ venditori, Lex
præsumit propterea evinci, quod
emptor male instructus causam
defendere nequiverit: *L. Si fundo*
§. ultim. ff. de evict. Quæ
quidem præsumptio videtur esse
fortissima, &, ut aiunt, juris, & de
jure; super eâ etenim Lex funda-
tur, ac statuit: ergo non est ad-
mittenda probatio in contrarium:
Auth. Sed jam necesse Cod. de do-
nat. ante nupt. Hæc est melior
opinio à nostris amata Lusitanis ex
expressa, & generali dispositione,
Ord. in 3. tit. 45. §. 2. ubi Barbos.
n. 7. & noviter Silva n. 17. &
melius n. 34.

⁴ Intactum relinquo, quod alii
dicunt in hac materiâ, affirmant
enim omislâ denunciatione agi ni-
hilominus posse de evictione, sed
ad simulum tantum; factâ verò,
ad duplum. Alteri actionem emp-
tori competere, cùm probaverit
nullam venditori defensionem pro-
cul dubio competuisse, acerrimè

affirmanr, non obstantibus supra-
dictis argumentis; hoc enim ve-
rius, & communius censemus, &
ita tenet *Fulgos.* ad *L.* Si ideo ff.
de evict. Alex. in L. Non solum
§. *Morte n. 46. ff. de oper. nov.*
nuntiat. Imol. in cap. ultim. de
Empt. & vendit. col. ult. Idem
Alex. conf. 67. lib. 3. & in conf. 63.
col. ultim. lib. 6. Socin. Jun. conf.
120. n. 11. & 12. lib. 3. Natta
conf. 232. n. 5. & 462. n. 8. Au-
frerius ad Capellam Tholos. q. 407.
in 6. limit. Rebuff. de Dilat. art. 5.
n. 38. Cov. lib. 3. Var. Res. cap. 17.
in 6. illat. plures refert Caballini-
nus de Evict. §. 3. n. 73. ac his
authoribus motus consului in hoc
casu pro parte emptoris, postea
tamen ab hoc discessi, & de præ-
senti discedo: Referam tamen ob
quæ motus tunc fui.

Et rationibus demonstratur:
⁵ Lex emptori negat actionem de
evictione contra venditorem, si
ei litem non denunciaverit; quia
præsumit eo casu rem evictam
fuisse, quoniam is male instructus
causam defendere non potuerit, ut
jam a nobis dictum manet, atque
probatum: ergo si manifestè con-
stet causam defendi non potuisse,
licet ipse emptor optimè a vendi-
tore instructus, ac defensus fuisset,
actio competere debet; ces-
sante enim Legis ratione, conse-
quenter Lex cessat juxta regulas
vulgares.

Secundò sic: Nequit emptor
agere de evictione, nisi per sen-
tentiam Judicis res fuerit evicta;
si enim ipse rem litigatori cedat,
non est, quod dicat sibi vendito-
rem nomine evictionis obligatum
esse: *L. Atqui natura* §. *Cum me*
ff. de negot. gest. L. 1. Cod. de pe-
ricul. & commod. reivendit. Et ta-
men, si certum sit, causam de-
fendi non posse, licet ipse vendi-
tor rem non defendat, de evictio-
ne

ne habet actionem: *L. Emptor ff. de act. empti*: ergo idem juris esse videtur, cum emptor denunciacionem omisit, cum infallibile est causam defendi non potuisse.

- 7 Tertio a simili poteris arguere: Citatio non requiritur ejus, cui jus manifeste non competit, *L. 2. §. Quod de frumentar. ff. de administrat. rer. ad Civit. pertin.* Sic etiam non requiritur excusio debitoris principalis, ut agi possit contra fidejuslorem, vel tertium, cum manifeste constat eum solvendo non esse: *Neguz. de Pign. I. membr. 8. p. n. 31. Gabr. Comm. Conclus. lib. 3. tit. de Fidejussor. conclus. I. n. 50.* ergo, & denunciatio, de quâ agitur, necessaria non esse videtur; ubi constat nullum jus competere, quo emptor defendi possit. Sic etiam constitutum est in conductore, qui si justam habeat causam deserendi rem conductam, deserere potest non suppositâ denunciatione, si hæc locatoris non intersit, ut bene *Rip. in tract. de Pest. in præludiis de privileg. contract. causâ pestis n. 23. Ægyd. Boss. de Remiss. merced. n. 52.* Quamvis alias certum sit, quod locatori denunciare debet: *L. Item queritur, §. Exercit. ff. locat.* Cum tamen intentio-
nis fundamentum sit; quod res defendi non possit, hoc probari debere existimavi, ut bene *Cov. ubi supra;* nec me movit, quod Lex nostra hunc casum non excipiatur; ratio enim sola ex Legibus petita sufficiens est ad casus excipiendos, & ita notabam; neque enim Leges semper declarant omnes exceptiones; quæ solum ab illarum rationibus petenda. Tu tamen mihi non credas, Legi enim adstrictus contrarium sequi non possum, & ab illo, quod tunc censui, nunc discedo.

S U M M A R I U M.

- 1 Figuratur casus.
- 2 Lex in casu proposito exigit denunciationem: ubi Lex non distinguit, nec nos distinguere debemus.
- 3 Lex præsumit pro sententiâ Judicis: Re evictâ per Judicis sententiam, actio emptori non conceditur evictionis nomine, nisi is venditori litem denunciaverit: Pro negativa vide argumenta.
- 4 Opinio aliquorum in medium adducitur: Communis est affirmativa resolutio in casu figurato.
- 5 Cessante ratione Legis, Lex cessat.
- 6 Confirmatur affirmativa pars.
- 7 Etiam conductor, qui habet causam deserendi rem, deserere potest, neglectâ denunciacione: De aliis vide, & nota.

CONSULTATIO III.

Ex Summario, & facto collige.

Explicantur conditiones, & modi necessariò implendi, ut acquirantur legata, & multa utilia traduntur.

Clausula fuit, & inserta dispositio in testamento cujusdam nobilis per hunc modum:
Mando que a hum menino, que se acha em casa de meu irmaõ F. em G. o qual se chama F. cujos pays se não declaraõ por varios, e decorosos respeitos, e ser a māy de grande suposiçāo, mando que o criem, e doutrinem muito bem, mandando-o esludar, e por em boa doutrina muito honradamente. E se for já de discrīçāo, e ti-
ver

ver genio para os estudos, os seguirá, quando não irá servir na guerra a S. Magestade, e lhe dará meu herdeiro, e testamenteiro sessenta mil reis por anno, cinco mil reis em cada mez, em quanto vivo for.

2 Mansit puer in domo hæredis, qui fideliter observavit testatoris mandatum, illumque studio destinavit, ac clarissimis Societatis JESU Præceptoribus tradidit: ast ille Minervæ ingratus, otio paulatim se dedit, donec a domo hæredis fugiens sinistris persuasionibus, tandem matrimonium contraxit; & ecce contra hæredem proponit litem, & petit legatum, etiam ex tempore, quo domum ipsius fuit ingressus, atque in illâ alienis sumptibus habitavit?

3 Quoad secundum hoc interrogatus, spennendum conatum illius, ac ridendum sensi; ex eo enim quòd omne habuit in hæredis tecto, non poterit insimul legatum sexaginta mille regalium percipere; neque tale quid colligitur ex illâ dispositione, ut ex eadem liquet; neque eodem tempore habent locum duæ causæ lucrativæ: *text. in L. Omnes 17.*

4 Quòd verò attinet ad primum, & cùm puer ille castra non sequeretur, Martemque potentem, quæsitum fuit his terminis, anne deberetur legatum? Dixi ergo talia alimenta relicta specialiter, & signatè ad belli exercitium, & ut miles degeret; & sic expressam deducebam conditionem, quâ non impletâ in formâ specificâ, censebam legatum prædictum peti non posse; deficiente etenim conditione, dispositio quævis habetur pro non factâ, ad nihilque reducitur: *Roland. conf. 20. n. 23. Barz. d. 81. n. 2. Galganet. de Condit. & demonstrat. 1. p. cap. 7. n. 10. Cajanet. conf. 2.*

n. 28. L. Pecun. ff. Si certum petat. conditio enim inducit formam præcisam: Ruin. conf. 199. n. 1. vol. 1. Jas. in L. Gallus §. Quidam rectè n. 2. Handed. conf. 60. n. 26. lib. 1. & necessariò adimpleri debet: Mantic. de Conject. ultim. volunt. lib. 11. tit. 16. n. 4. text. in L. Mov. ff. de condit. & demonstrat.

Talis conditio in supradictis verbis posita mihi videtur potestativa, & tantum dependens à voluntate legatarii, per ea, quæ *Mantic. de Conject. ult. volunt. lib. 10. tit. 5. n. 3. Bartol. in L. 1. per tot. de insit. & subst. ergo debebat habere implementum post mortem testatoris: Gom. Var. cap. 12. de legat. n. 61. & conditio est quædam legati suspensio, cuius de futuro defectus, seu confirmatio pendet: Fragos. de Regim. Reip. p. 3. lib. 5. d. 8. de legat. n. 378.*

Notemus iterum verba: *Irá servir na guerra a S. Magestade, e lhe dará meu herdeiro.* Copulativa *Et* est continuativa, & quæ repetit similia, præcipue posita sub eâdem oratione: ergo legatum intelligitur suâ conditione, & onere: *Galgan. de Condit. & demonstrat. p. 2. c. 1. q. 18. n. 2. Lucens. d. 55. n. 12.* Denique: dies incertus conditionem in testamento facit, *ex text. in L. 1. ff. de Condit. & demonstrat.* quia si dies, aut tempus solutioni destinatum est incertum, non est legatum in diem, sed sub conditione; præcisè enim istâ verificatur: *Fragos. de Regim. Reip. p. 3. lib. 5. d. 8. §. 13. n. 410.* Hic verò certus dies assignari non poterat, nisi v. g. primus militiæ, & ex quo signaretur in albo militum: Unde intrat doctrina acuti *Cancerii Var. p. 3. cap. 20.* ubi ait, quòd quando incertum tempus

Mm adji-

adjicitur executioni legati , totum legatum redditur conditionale.

- 7 Et licet non haberemus conditionem in terminis propositis , sufficiebat considerare onus injunctum , ut legatum non deberetur defectu implementi ; quia si non servatur onus , dispositio revocatur , & eo ipso interdum manet revocata ; ut cum *Gom. & Molin.* docet citatus *Fragos. de Regin. Reip. p. 3. lib. 5. d. 8. §. 13. n. 411.* Et non est negandum , quod quamvis expresa verba modum important , & ex mente testantis non solum expresa , sed etiam tacita demonstretur , quod onus impositum debeat prius impleri , quam quis commodum percipiat . Et si attendas ad intentionem testatoris , efficacemque voluntatem , quâ legatarium aut Minervâ , aut Marte exercitum volebat , non dubitabis de resolutione , & onere ; quia geminatio verborum enixam inducit voluntatem , & consequenter onus : *Decian. conf. I. n. 42. lib. 3. Gutierr. Pract. lib. 3. q. 17. n. 134. Aym. conf. 20. n. 2. Surd. conf. 10. n. 54.* Et hinc deducitur testatorem voluisse , quod modus impleretur omnino , quo posito inducitur obligatio : *Menoch conf. 262. n. 15. & lib. 4. de Præf. pag. 184. n. 2.*

- 8 Sufficit etiam , quod modus sit causa finalis (ita in præsenti) ipsius legati ; sic enim totum fere legatum absorbet ; & ipsum relictum venit accessoriè , & consequitur ipsum modum : ideo sublatto modo , quasi destructo antecedenti , tollitur consequens , hoc est , ipsum legatum : *Bald. in Autb. ingref. n. 15. vers. Non obstat dict. Cod. de sacros. Eccles. Cuman. in L. Siquis serv. ff. de condit. & demonstrat.* Quod verò illud in bello exercitum à testatore assignatum fuisset causa finalis le-

gati , suadetur ex verbis ipsius ita disponentibus , a quorum tenore recedere nullatenus licet ; in suo etenim rigoroso significatu intellegi debent : *L. Non aliter 69. ff. de legat. 3. Surd. d. 228. n. 27.* neque ab illo possimus deviare : *L. Prospexit vers. Ipsa ergo ff. qui & à quibus.*

His omnibus non impertinenter addebam , quod cum talis dispositio esse facta in testamento , interpretationem , atque conjecturam ita in illo fieri debere , ut magis fuisset consultum , ac prospectum saluti animæ testatoris ; quia adhuc in dubio illa conjectura capienda est , quæ ipsius animæ magis suffragatur ; & ista cunctis rebus , & personis debet anteponi ; & hoc in tantum , quod si duæ possint sumi conjecturæ , una , quod dispositio sit facta contemplatione consanguinitatis , alterâ meræ pietatis , & quæ animæ potior sit , secunda hæc certè prævallet , licet etiam sit correctoria ; & semper est præsumptio , quod testator senserit de re meliori : *Castill. quot. controv. lib. 8. de Aliment. cap. 42. n. 8.* Illa verò dispositio , de quâ quæstio , facta fuerat , quando jam testator propter ætatem defectam , atque supremum illius limitem , solâ spirantis cadaveris depositâ valetudine continenter admonebatur , atque ex omni rerum humanarum cumulo solum sibi restare sepulchrum cognoscebat .

Quantum verò meritum ille 10 consequitur , qui similia præbet in testamento legata , quibus in arma infidelium quisque ruat ? Vel quâ se pandit Africa , vel qua ingens Asia lata ostendat imperia , quibus Euangelium notum fit , data prius viâ per strenuorum militum tela , ac gladios . Quapropter has conquistiones Romani Pontifices

fices plurimis Bullis laudarunt; & mille privilegia Lusitanis concesserunt; specialiter Nicolaus V. Calistus III. Sixtus IV. Julius II. Alexander VI.

11 De hoc ergo intelligo testatorem bello cogitasse; justum etenim semper est prosequi inimicos Fidei impedientes declarationem Euangelii in suis Regnis; & hoc meo videri significant illa verba: *Ira servir na guerra a S. Magestade.* Et sufficiebat Principis mentio in utilitatis dative, ut Grammatici dicunt, ut legatum videretur Principi factum propter commodum suppositum, & resultans ex tali servitio; & certum est, quod dignum attrahat ad se minus dignum: cap. *Quod in dubio 3. §. Nec negamus de consecrat. Eccles. Jas. in L. Imperium n. 3. ff. de jurisdic̄t. omn. Judic. Alex. cons. 122. n. 17. lib. 4.* Denique illud verbum: *Ira*, utpote imperativi modi inducit dispositionem, ut cum Bartolo, Bald. Jas. & aliis Cald. Per. de Emphit. extinct. lib. 4. cap. 16. n. 12. Et cum sint verba, quae per se sonant principali-ter, neque sint prolatæ per modum transeuntis, constituunt sensum perfectum, & optimè, ac clarè sic declarant voluntatem: Peg. de Maiorat. cap. 5. n. 147.

12 Ultimò: Demus, quod ex verbis non resultet conditio, sed solus modus. Tunc sic. Iste modus est belli illius exercitium, quo patriæ, Regique servimus. Sed jam certum est, quod si modus respicit favorem Reipublicæ, continet causam finalem, quā non servatā, revocatur donatio: *L. Cum te fund. ff. de pacl. inter empt. & vendit. Barbos. in L. Si cum dot. 23. §. Si pater n. 25. in fin. ff. solut. matrimon. Portug. de Donat. lib. 1. prol. 2. §. 1. n. 11. & si adjectus donationi (legatum eis do-*

natio) respiciat favorem donantis, vel alterius, quam donatarii, sine dubio causam finalem demonstrat, ut *Mantica tradit de Tacit. & ambigu. lib. 13. tit. 42. n. 9. & n. 10.* scribit, quod si respiciat favorem pietatis, aut Reipublicæ, ostendit procul dubio causam finalem, quam servari opportet. Hæc fuerent a nobis dicta in proposito; pro quibus postea tamen noluit stare Senatus, cuius placita satis meliora veremur.

SUMMARIUM.

- 1 *Proponitur factum consultationis.*
- 2 *Etiam.*
- 3 *Duae causæ lucrativæ non habent insimul locum eodem tempore, & respectu ejusdem.*
- 4 *Non complecta conditione legati in formâ specificâ, ipsum legatum non habet locum; nec peti potest; & miris doctrinis confirmatur.*
- 5 *Conditio est legati suspensio, cuius de futuro confirmatio pendet.*
- 6 *Copulativa* Et est repetitiva similiūm, maxime sub eadem oratione: *Dies incertus facit conditionem in testamento: Si dies solutioni est destinatus tempore incerto, non est legatum in diem, sed sub conditione.*
- 7 *Si legato est onus injunctum, non habito implemento, dispositio revocatur: Onus prius impletur, quam quis commodum percipiat: Geminatio verborum enixam inducit voluntatem: Modus adimpleri debet, atque ex illo deducitur obligatio.*
- 8 *Causa finalis observari debet, & ipsa absorbet legatum: Sublato modo, tollitur legatum: à verborum tenore nullatenus recedere possumus.*

9 Quando dispositio est facta in testamento, ea sumi debet conjectura, quā magis sit consultum, ac prospectum saluti animae testatoris: testator præsumitur cogitasse de re meliori.

10 Infideles, Turcasque hostes bello sternere magnum meritum est.

11 Dignum attrahit ad se minus dignum: Quando fit Principis mentio in dispositione, illius intuitu finali censetur facta: Imperativi modi verba inducunt dispositionem: Verba, quæ per se principaliter sonant, neque sunt per modum transeuntis, optimè declarant voluntatem.

12 Modus, qui respicit favorem Reipublicæ continet causam finalem, quæ ad unguem adimpleri debet; & illâ non servatâ, revocatur donatio: Si respicit favorem donantis, vel alterius, demonstrat causam finalem rigorosè observandam.

CONSULTATIO IV.

Ex Summario collige.

Qualiter injuriæ puniendæ, hic declaratur.

Ut pro parte cuiusdam actoris proponentis actionem injuriæ advocarem quæsitus, dixi prius, quod honor est maximum honorum exteriorum, ut docet Aristot. lib. 4. & hic. honore enim ducente, mortales in quæque difficultia ruunt; neque propriâ dextrâ fas est cuiquam adversarium sternere, vel ad injurias tendere; & si contrâ faciant, tale non debet manere delictum impunitum: L. Ita vulnerat. §. Quod quis vers. Cum neque imputit. ff. ad L. Aquil. L. Congruit.

13. ff. de offic. Praefid. ut nempe poena unius sit alteri in exemplum: text. in L. i. Cod. ad L. Jul. repet. Barg. de Dol. lib. 3. cap. 9. tit. 107. fol. 373. Unde bellè Quintil. Et si poenas scelerum expetere fas non est, prope est, ut scelera ipsa permitta sint. Et hinc carmen vulgare:

Oderunt peccare mali formidine pœnæ.

Ut verò in speciali materiâ procederem, dixi in materiâ injuriarum esse pœnam arbitrariam, consideratâ qualitate, & gravitate delicti, & personæ injuriam patientis, & agentis: Cardos. in Prax. Judic. & Advocat. verbo Judex n. 51. Jam verò tale arbitrium Judicibus liberum non est, ex cap. de caus. §. Illis, ubi DD. de offic. Judic. Delegat. L. Hodie ff. de pœn. L. Siqua pœna est ff. de verbis. significat.

Attendant ergo Judices in simili eventu ad pondus injuriæ, ac ita ad causam, & ad personas: text. in L. item apud Labeon. §. Quod ait Praetor ff. de injur. L. Praetor edixit §. Atroc. ff. de injur. Attendant, quod ex personis, tempore, loco, & facto nimis crevere injuriæ: Fodoc. in Pract. Crim. cap. 137. n. 18. & 19. Cyril. in Summâ Crim. rubr. 24. §. fin. n. 4. Plach. in Epitom. Delict. lib. 1. cat. 4. n. 3. Pract. Corrad. tit. de I. jur. n. 7. in fin.

Quod humilis homo prorumpat in injurias, censeo casum satis acerbum, ac hodie communem; sed tamen exemplari suppliciò satis dignum; crescit enim injuria ex turpitudine inferentis: Valenz. cons. 142. n. 68. & 69. & cons. 176. n. 19. & 23. & ideo multatur secundum qualitatem casus, & personæ: Merlin. For. p. 1. cap. 66. n. 8. Mend. in Prax. p. 1. lib. 4. cap. 11. n. 1. Cost. in annot.

ad

*ad Cam. annot. 35. n. 7. Gom. 3.
Var. cap. 6. n. 4. Cabed. p. 1. d.
214. n. 5.*

5 Injuriis valde offenditur, & læsione proximi Divina justitia, ut per *Math. cap. 5. 22. ibi: Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri suo, reus erit iudicio.* Et infra: *Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offeres munus tuum.*

6 Inuria personalis est atrox, & re atrocem injuriam dari censemus; cum alicui v. g. vulnus fuit illatum, vel os percussum, ex *Bartol. in L. Non solum. §. Si mandato meo n. 7. in fin. vers. Item puto ff. de injur. Vitalin. init. de Injur. n. 42. in fin.* Et si fiat injuria in præsentia multorum, maior reputatur ex text. in cap. 1. de Maledic. & præcipue si aliquis fustibus, aut baculo cæditur: *Farinac. in Prax. Crim. p. 3. q. 104. n. 215.* Inuria etiam pulsationis, & verberationis dicitur atrox etiam respectu vilis, & ignobilis: *Peg. ad Ord. lib. 1. tit. 65. §. 25. n. 148.* & vel magis, si percussio sit in platea, vel in theatro: *Novar. q. For. q. 58. sub n. 4.*

7 Hodie tamen ea est temporum injuria, ut factæ injuriæ quasi maneant impunitæ; licet enim proponantur in iudicio, mulcta adeo est levis, ut maiores sint partibus prosequentibus sumptus; ac ita vereor, quod ex hoc plurima redundant incommoda, & mortes, & casus horrendi; videntes etenim homines, quod iuriis deest supplicium condignum, dum non sibi satisfactum putant, dextrâ, brachioque confidunt, quo quid terribilius? Si ego panderem spe-

ciales casus, longum facerem volumen. Nullum arbitrium in iudicibus censeo magis periculosum, quam in proposita materia. Quid enim? Petrus dives fecit injuriam contra Paulum. En ego Judex Petrum condemnō poenam quatuor mille regalium. Numquid hac poenam evitantur injuriæ in futurum? Quid hodie quantitas illa?

Hæc ego optimè cum noverim, & me quereret ad causam defendendam pauper, sed bonus homo, cuius uxor in propriâ domo, seu potius limine fuerat ab alio fuste vulnerata in fronte bis, terque ad satietatem, respondi delinquenti parcendum; remedium enim ignorabam. Cum tamen rusticus concordiam recusaret, instanterque patrocinium peteret, prosequimur litem inglorii, donec Reus condemnatus fuit in octo mille regalibus actoris sumptibus non adæquatis; diu enim, quod magis est, duraverat lis. Plura exempla maiora sanè in medium adducere possem, sed ad quid?

S U M M A R I U M.

- 1 *Honor est maximum bonorum exteriorum; unde causa injuriæ maximi ponderis est: Delicta non debent manere impunita. Qui sceleræ non punit, ea permittit; & datur ansa peccandi, ac delinquendi.*
- 2 *Pœna injuriarum est arbitria.*
- 3 *Judices in materia injuriarum debent attendere ad causam, & personas, ad tempus, & ad factum, ex quibus omnibus crescit injuria.*
- 4 *Inuria crescit ex turpitudine inferentis.*
- 5 *Divina justitia valde offenditur iuriis.*
- 6 *Inuria personalis est atrox, & ex-*

& explicatur, cum fustibus, aut baculo quis cæditur: Si fiat in publico, & multorum præsentia maior censetur.

7 Grande damnum oritur, grandiaque mala proveniunt ex non punitis injuriis, quod hac tempestate deploratur.

8 Eadem prosequitur materia; & iterum in lachrymas itur.

CONSULTATIO V.

Ex Summario collige.

Filius debet assistere in domo parentis sui, & in illâ percipere alimenta: Qualiter taxanda? Vide.

1 **Q**uidam filius naturalis à patre suo nobilissimo petebat alimenta extra domum; fugitivus enim a tecto ipsius; qualis alter prodigus vivere recusabat in domo parentis; & ad hoc allegabat se esse ab illo vexatum acriter, & ignominiosè; quin genitoris amorem erga illum ostenderet; quapropter ad matrem confugerat: Alimenta petebat satis ampla, & in hoc solum generosus.

2 Dicebam prius; quòd ut filius iste alimenta tam ampla consequeretur, probare debebat parentis divitias, utpote qui in ipsis fundabat actionem respectu quantitatis: *glos. in L. Si vtrò, & ibi Bartol. §. Quæ pro rei qualit. ff. qui satisfare cogantur: L. Si creditor in fin. ff. de privileg. credit. Paul. in L. Ei, qui ff. de probat.* Et cùm paupertatem negaret in patre; quæ quidem paupertas nobis veluti naturaliter inest, divitias probare necesse erat, ex notatis a *Felin. in cap. fin. col. 4 post n. 15. de præf. Cald. conf. 10. tit. de Probat. Alex. conf. 118. col. 4.*

vol. 2. Cov. Var. Resolut. lib. 2. cap. 6. & non sufficiebat fama divitiarum; quia

*Fertilior seges est & alienis
semper in agris,
Vicinumque pecus grandius
uber habet.*

Et quòd quisque pauper præsumatur, dum contrarium non probatur, dixit *Jas. in L. 2. Cod. de probat. Marsil. in L. Siquis ff. de quæst. & in rubr. Cod. de probat. n. 436.* ubi infinitos allegat: Et non solum est pauper ille, qui non habet unde vivat; sed qui etiam ex redditibus suam non potest conservare dignitatem, & ita ex qualitate personarum colligitur paupertas: *L. Nepos Proculus ff. de verbor. signific. Bald. in L. Siquis ad declin. col. 2. vers. Circa de Episcop. & Cleric.* Et hæc bene conducebant ad intentum; pater enim nobilissimus erat, & legitimâ prole satis gravatus, & etiam plurimis debitibus, quæ quidem debebant nimis in hac aetione attendi ad exclusionem divitiarum; bona etenim non intelliguntur, nisi prius deducuntur aere alieno: *L. Subsignat. §. Bona, L. Cum emancipatio §. Illud ff. de collat. bon. L. Ea demum Cod. de collat. L. Mulier ff. de jure dot. L. Non possunt ff. de jure fisc. Jas. in Auth. Novissim. n. 3. Cod. de inoffic. testam.*

Ad sævitiam, & amoris defecum, quem in parente arguebat, dixi non probari; & contrarium præsumi: *text. in L. Nam, & si parent. ff. de inoffic. testam. text. qui L. Cum pater §. Mando ff. de Leg. 2. L. Propter insidias Cod. in accus. non possunt; & pro affetu, magis in filiis, quam in se ipsis parentes terrentur, & ideo Justinianus Imperator in L. ultim. in princip. Cod. de cur. fur. in hæc verba prorumpit: Quis enim talis affe-*

affectus inveniatur extraneus, ut vincat paternum? Bene de hoc Socin. *Sen. conf. 9. col. 4. n. 14. vers. viges. probatur vol. I. Tiraquel. in Præfat. ad L.* Si unquam per totam primam decidendi rationem legis ejusdem à n. 3. usque ad n. 37. Optimè Chrysost. in *Genes. hom. 19.* & ex Divinâ Scripturâ in infinitum probari posset, ut in lib. *Reg. 2. cap. 18.* & *Gen. 37.*

5 Tandem dixi, quòd ex supplicio, quo filium afficiebat, non deducebatur crudelitas; immo ad hoc parens patrandum tenebatur ex illo satis vulgari sapientis testimonio: *Noli subtrahere a puerō disciplinam; si enim percusseris eum virgā, non morietur. Tu virgā percuties eum, & animam ejus de inferno liberabis.* Immo ob hoc debebat assistere, atque in domo genitoris residere, & manducare, sicut enim pater est causa essendi filiis, quòd est maximum beneficium, debet esse nutritionis, & educationis, habereque imperium in illos: Aristot. 8. *Ethic. cap. 11.* doctissimus Fragos. *de Regim. Reipublicæ p. 3. disp. I. §. 4. n. 51.* Et hoc est pietatis officium ad parentes singulariter spectans, & colligitur ex L. *Macedon. Cod. ad Senat. C. Macedon.* optimè glos. in L. *Cum post §. Generat. in verbo Constatet ff. soluto matrimon.* L. *Siquis a liber. §. Non solum ff. de liber. agnoscend.*

6 Et adeo ad prædicta parentes obligantur, quòd si facere recusent, ipsis procul dubio delicta filiorum imputantur: *Silv. in verb. Famil. q. 5. cap. Quantumlibet, & cap. seq. d. 47. Azor. tom. 2. Inst. Moral. lib. 2. cap. 21. q. 14. Navarr. de Orat. cap. 3. n. 20. Henr. lib. 11. de Matrimon. cap. 19. n. 4.* Ambulat enim pari passu obligatio alimentandi, & educandi: Alexander Alensis in *Summa*

p. 3. q. 33. membr. 3. art. 1. & prius docuerat Divinus præceptor apud Luc. cap. 4. Quia non in solo pane vivit homo; sed in omni verbo Dei.

Neque obstabat, quòd filius iste, ut jam diximus, erat tantum naturalis; obligatio enim illa ad omnes extenditur, ac porrigitur filios; & militat eadem naturalis ratio sine discrimine, ex d. L. *Siquis a liber. §. Denique, & §. Sed si filius ff. de liber. agnoscend.* & non datâ in Legibus distinctione, distinguere nos non debemus: L. *Si servus §. Prætor ait vers.* Non dixit Præt. ff. de acquirend. bæred. Unde cùm termini habiles sint prius supponendi, L. *Qui habebat 48. de vulgar.* ad domum parentis debebat accedere noster prodigus; & ex filii libertate ei poterat redundare maior ignomina, docente jure, quòd ubi manus est periculum, & incommodeum, cautius est agendum, ut sunt regulæ vulgares, seu vulgaria axiomata: Ac ita filio consultum iri consulens clamabam: Etenim.

Imherbis juvenis tandem custode remoto.

Grudet equis, canibusque, & aprici gramine campi:

Cereus in vitium flecti, monitoribus asper.

Utilium tardus provisor, prodigus æris.

S U M M A R I U M.

1 *Factum proponitur.*

2 *Qui petit ampla alimenta, debet probare divitias Rei; & regulariter suam intentionem, ac fundamentum: Paupertas naturaliter nobis inest: fama divitarum non sufficit in proposito.*

3 *Quisque præsumitur pauper, dum contrarium non probatur:*

Non

Non solum est pauper ille, qui non habet unde vivat; sed etiam qui non valet sustentare suam dignitatem. Bona non dicuntur, nisi deducto ære alieno; ideo qui debitis est gravatus, non potest censeri dives.

4 *Amor præsumitur in patre erga filios.*

5 *Ex supplicio, quo filios afficit, non deducitur crudelitas, sed amor: Immo pater debet fustibus cædere filium; in illum que habet imperium; & castigatio est pietatis officium: pater est causa effendi filiis, & hoc maximum beneficium.*

6 *Delicta filiorum imputantur parentibus, qui filios non castigant; ambulat pari passu obligatio alimentandi, atque educandi.*

7 *Ampliatur hæc obligatio respectu filiorum naturalium: termini habiles semper supponendi: qualitas patris in hoc casu attendenda: Filius sine patre, & doctrinâ celer currit ad vitia.*

CONSULTATIO VI.

Ex Summario, factoque collige.

Aliter: Excusationes pro Reis hic habes in materia criminali simili occurrente: Probatur incidenter mercaturam non maculare nobilitatem.

Quidam officialis in certo Tribunal satis superbè ad partem locutus est, quæ ab eo certum quid petebat ratione officii, immo ita petentem stultum, atque asinum appellavit. Illa tunc extra Tribunal, & in limine querit eum, & prolati utrinque verbis, uterque vulneratus fuit. Pro parte rei quæsitus fui ad advocationem; & ut eum excusa-

rem, hæc notavi, atque ita defendi alienigenam.

Pone, Domine, custodiam ori meo: Non dedit Deus linguam hominibus, præclarissimi Domini, nisi ut modeste loquerentur, ita distinguentes pacifica, & vera verba à contumeliosis, & ignominiosis; quod omne præcipue, atque hanc modestiam, & urbanitatem ad communicationem vitæ sociabilis servare debent illi, qui sunt in muneribus publicis; nihil enim adeo propriè ad Principem spectat; atque ad eos, qui in Tribunalibus resident, illum debitâ proportione imitantes, quâ gloria humana, quâ ipse Christus Dominus cognitus fuit, & ita docuit; exemplumque dedit humili corde: Ita etiam David in primis verbis hujus orationis locutus fuit; & postea dixit Apostolus: Sermo vester semper sit in gratia sale conditus.

Ad hæc verò cum non respiceret, F. dixi recordari debere Græci alphabeti, ut olim Cæsari Augusto dixit Athenedorus, atque Theodosio Imperatori Livius, si licet exemplis in parvis grandibus uti. Ad illud verò, quod alienigena maneret in limine, dixi non fuisse ex proposito, sed casualiter; neque aliud rigorosè demonstrari posse; quia animus, & intentio homines latet; atque soli Deo noti: glos. in L. 2. ff. de interrogat. act. & in cap. de occid. 23. q. 5. & in Clem. exivi de paradis. de Verbor. significat. Roland. conf. 11. n. 11. & seq. lib. 3. Et quod extra hoc dicitur, est improbabile: Mascard. de Probat. lib. 1. cap. 94. n. 1. Farinac. Fragment. Crim. p. 1. lit. A. verbo Animus n. 231. Immo quia scriba injuriosis verbis provocaverat, numquam alienigena postea præsumendus aggressor; ex his, quæ Aymon conf. 210. n. 11. Cephal.

Cephal. conf. 12. n. 12. Addebam, quod cum probaretur scribam esse genii asperi, & non totalis urbanitatis virum, ipse intelligendus aggressor, & non vir pacificus (qualis noster alienigena noscebat) poterat aliter presumi: *Alciat. de Præf. Reg. 3. p. 39. n. 8.* *Cæpol. Conf. Crim. 28. lib. 2. Vulpel. conf. 36. n. 1.* *Vital. in tit. de Conf. & Percus. n. 13. & 14.*

⁴ Addebam suprapositis: Quia ille juvenis alienigena adeo injetis ensibus obrutus fuit, ut nec respirandi illi foret potestas, concurrentibus acerrimis scribis; atque ita quis presumitur insultatus: *Bertaz. conf. 1. n. 7. Herc. de Caut. cap. 30. n. 20. Mascard. de Probat. lib. 1. concl. 72. n. 1.* Et primò injurians censetur aggressor: *Gram. vot. 34. n. 3. Amic. conf. 23. n. 1.* Præcipue, si attendamus ad locum, in quo scriba erat plurimis aliis associatus, alienigena autem derelictus: *Blanc. in Pract. Crim. in fin. §. Tertia pars n. 17. Hercul. de Caut. cap. 30. n. 33. Menoch de Arbitr. lib. 2. cap. 367. n. 1. Ayres in tract. de Homicid. p. 1. n. 344.* Et presumptiones ad favorem rei sumendæ sunt, atque à bonis Judicibus eligendæ: *Hippol. Rim. conf. 359. n. 39. lib. 4. Alciat. de Præf. regul. 2. præf. 39. n. 12.* & ex his absolvi debebat, stantibus pro illo tantis requisitis, & exclusivâ aggressoris: *Farinac. de Homicid. q. 124. n. 482.* neque presumptionibus violentis quis valet condemnari; sed solum ex claris, & indubitatis: *Honded. conf. 99. n. 28. lib. 1. Hercul. de Caut. cap. 30. n. 26.* Et ab injuriante procul dubio malitia incepit: *L. Quintus Cod. de servo fugitivo, L. Siquis serv. Cod. de furt. Boer. conf. 40. n. 26. Novel. in tract. de Defens. in princ. n. 2.* & provocator non solum dicitur ille, qui v.g.

gladio ferit; sed etiam qui asperis, & injuriosis alium laceffit verbis: *Bald. conf. 143. Farinac. de Homicid. q. 125. p. 7. §. 4. n. 506.* bene *Claud. in Addit. ad Bertaz. conf. 88. lit. A. Alb. in L. I. §. Cum ariet. n. 5. vers.* Et ad hoc bene facit ff. si quadrupes pauper fecisse dicat. *Aymon conf. 1. n. 12. Bolognet. in L. Ut vim n. 38. post. vers.* Et ad victoriam ff. de justit. & jur. *Farinacius, ubi proximè n. 510. & num. 511. Alvarot. Conf. Crim. divers. 74. n. 29. lib. 1. Paseth. conf. 202. n. 8. & n. 11.*

⁵ Si mihi fides ulla adhibenda est, semper existimavi illos, qui Regis habent in ore vocem, & loco suo abutuntur, ingenti gladio pugnare; itaut his superbis vix ullus resistere possit; quapropter asperrimè, atque severè puniri debent; unde enim jura nascuntur, non est justum provenire discordias; & officialis justitiæ, qui insolenter loquitur, non ut publicus homo facit, sed ut privatus, & insolens; & similiter illi responderi potest. Residentibus in Tribunalibus valde amica sit affabilitas, & exterminanda terribilitas; ut olim dixit Democritus, atque sapientissimus Pythagoras, qui Magistratus dicebat oppondere esse prudentes, & benignos; & Plutarchus respondit benevolentiam esse optimum regni fundamentum. Unde cum quasi in littore memorata fuisset pugna, sic ego clamabam:

Quæne hæc tam barbara mo- rem

Permittit Patria? Hospitio pro- hibemur arenæ?

Bella cœnt, primâque vetant consistere terrâ?

⁶ Dum verò attendebam ad injurias, quibus alienigena fuit provocatus ab scriba, dixi ego graver ferendas, quia hic noster Cliens

Nn erat

erat filius cuiusdam Senatoris in suo Regno potentissimo; & non perdidit nobilitatem vivens mercaturâ; hæc etenim non maculat nobilitatem in Civitatibus Italiæ; immo multi primæ nobilitatis Viri eam exercent; atque ita novimus mercatores Florentinos, & Genuenses nobilitate conspicuos: immo ego jam puto in nostrâ Lusitanâ aliquos inveniri posse, quos usus in posterum nobilitabit. De Italib[us] verò testis est *Farinac.* d. *Civil.* p. 1. d. 297. n. 9. Quod verò ego profero de Lusitanis, non intelligas in rigoroso sensu, neque enim ego illos possum nobilitare, qui re verâ nobiles non sunt: Ast cùm hodie in pecuniâ ob hominum avaros mores sita sit nobilitas, veluti in suo lapide angulari, quare non nobiles appellem? Sed mecum distingue: Ex divitiis resulat authoritas, sed non nobilitas. Instabis: Ad quid aliud authoritas? Hic est effectus nobilitatis: Divites, licet genere humiles, pauperum sæpe rident nobilitatem.

7 Ut verò ad dicta redeamus, sciendum est, quòd, teste *Farinacio*, *ubi supra*, & eodem n. ipsi filii Italorum mercatorum possunt profiteri in Ordine Melitensi, & nullatenus filii, aut nepotes scribarum: Ratio differentiæ est; quia mercatores in Italiâ sunt plerumque de primariis Civitatum; & apud exteris haberi debent pro nobilibus, si in patriâ verè sunt; cùm qui habet nobilitatem politicam, civilem, seu naturalem in suâ terrâ, gaudeat eisdem honoribus, ac privilegiis in qualibet mundi parte: *Maced.* d. 116. n. 5. Non ita filii, aut nepotes scribarum, qui ex prelè per illius Ordinis regulas excluduntur.

8 Quantum ad alia dixi non probari, sed omnia a suis inimicis

odio acri imputata; & in criminalibus debet dari probatio luce clarius meridianâ, & semper exactior: *Conciol.* verbo *Probatio resolut.* 3. n. 1. & 2. *Giurb.* cons. 72. Neque fama, aut rumor sufficiat; ast erant præcisæ testes de visu, ex his quæ *Conciol.* *Resol.* *Crim.* verbo *Fama resolut.* 2. n. 2. *Sperel.* d. 173. n. 37. 2. p. *Cyriac.* contr. 448. n. 89. Et testes, quæ in causis criminalibus deponunt se nihil scire, vel audisse, reprobat alios, qui de famâ casu asserunt, ut idem *Conciol.* ubi *supra* n. 1.

Procurator patrimonii Regii in hoc casu pro scribâ pugnabat; & dicebam non posse; quia scriba non ut talis, atque ut officialis justitiæ offensus fuit; sed quatenus particularis homo; & non in loco sui officii, quem fuit veneratus alienigena; ita ut in illo neque verbum proferret: at verò quando adhuc non appareat causa offensionis; præsumendum est potius offensam factam fuisse ratione particularis inimicitiae, & non publici officii; hoc scilicet ad excludendum maius crimen: *Farinac.* in *Prax.* p. 1. q. 17. n. 43. Quanto ergo magis in hoc casu, quo de origine pugnæ constabat evidenter? Alias dabitur ansa, ut justitiæ officiales ad libitum loquantur, omnesque armis, verbisque lacestant, quod quis ferat? Unde ad hoc, ut offensa censeatur facta contemplatione publici officii, quasi requiritur, quòd in loco judicii, vel Tribunalis fuerit perpetrata: *Farinac.* *ubi supra* n. 41. & 42.

Ponderabam ulterius: Quòd primi impetus quasi in nostrâ potestate non sunt, primusque furor: cum plurimis *Odofred.* in *L.* 1. §. *Hec autem verba* n. 9. col. 1. ff. quòd quisque juris: unde

de fine delicto poena locum non habet: *L. Aliud est fraus ff. de verbor. significat. Bartol. & alii in L. Ubi pactum Cod. de transact. Dec. cons. 256. n. 2. Marsil. cons. 128. n. 25.* In nostro eventu solum poterat considerari dictum *Bovad. in Politic. lib. 4. cap. 11. n. 31.* ubi aureis verbis, & eleganter declarat officialem justitiae ob injuriam alii factam esse dignum maiori punitione: Quare ergo hic de alienigenâ rideat? Cur pro illo tantus in hoc casu Procurator?

II Hæc à nobis in proposito dictat fuere, atque alia plura matuori calamo; & quidem non omnino spernenda: Unde alienigena fuit condemnatus tantummodo poenâ pecuniariâ; & non totaliter amplâ: Opposui impedimenta, ut omnino absolveretur, & adhuc sub Judicibus clarissimis lis pendet.

SUMMARIUM.

- 1 Factum narratur breviter, quod vide.
- 2 Humanitas, urbânitas, benevolentiaque in Principibus, & officialibus justitiae ab illis creatis commendatur.
- 3 Animus soli Deo notus: Qui provocat injuriis, asperisque verbis, præsumendus aggressor; nullatenus autem Vir urbanus, & pacificus.
- 4 Qui ensibus obruitur, præsumitur insultatus: Primò injurians reputatur aggressor; & maximè qui plurimis est associatus: Præsumptiones ad favorem Rei sunt eligendæ, & ex illis absolvi potest: Violentis præumptionibus nemo potest condemnari, sed solum ex claris, & indubitate: Ab injuriante procedit malitia: Provo-

cator non solum ille est, qui gladio ferit, sed qui utitur verbis injuriosis.

- 5 Qui Regis habent vocem, ingenti gladio pugnant; & quando aliquem provocant, acerrime puniri debent: Unde jura nascuntur, non debent provenire discordiæ: laudatur affabilitas.
- 6 Mercatura apud plurimas gentes non maculat nobilitatem; ut de Genuensibus, ac Florentinis notum est.
- 7 Idem probatur, & quod Itali mercatores sunt plerumque de primariis Civitatum. Qui habet nobilitatem in suo Regno, eâ uti potest in qualibet mundi parte.
- 8 In criminalibus requiritur probatio exactior; & quæ luce meridianâ clarior sit: Fama, aut rumor non sufficiunt ad condemnandum; sed testes de visu requiruntur; & vide, quæ prævalent?
- 9 Offensa potius præsumitur ratione particularis inimicitiae, quam ratione, aut cōtemplatione officii; præcipue si in loco istius non fuit facta.
- 10 Primi impetus quasi in nostra potestate non sunt: Officialis justitiae ob injuriam alii factam severè puniri debet.
- 11 Clauditur consultatio, quam nota; ibi enim habes doctrinas excellentes à bonis authoribus deductas.

CONSULTATIO VII.

Qui injustè, & temere non litigavit, decimam nullatenus debet, licet vietus sit; & manifestè hac consultatione ostenditur. Hæc tamen restrictio sequenda non est, donec veniat declaratio in his Regnis.

1 **D**e decimis litium aliqua scripta in nostro Regno, atque disposita inveniuntur; de origine enim illarum dixit *Cabed. p. I. d. 16. d. 17. atque 18.* Disputavit etiam *Thom. Vaz ex alleg. 77. cum seqq.* Sed cum nullus hanc materiam à fundamentis, & radice explicaret, & regimen Cancellariæ non sit adeo clarum, immo regulæ satis confusæ; ideo quotidie videmus ingentes quæstiones agitatas, & quæ non facile decidi possunt. Quæsitum fuit a me: Utrum decima absolutè deberetur ex omnibus sententiis, & ita Rei solvere debebant?

2 De condemnatoriis sententiis latis per præceptum de solvendo clarum est, quod decima non debetur, & quando mihi præcipitur, ut solvam virtute meæ confessionis; ut cum pluribus juribus, & DD. demonstrat *Cabed. d. d. 16. n. 6.* Et hoc ideo est, quia per confessionem partis non inducitur litis contestatio; & ideo ob illam numquam fieri potest directa condemnatio: *text. in L. Si domus 74. §. Qui confitetur de legat. 1. quem citat Barbos. in L. Si debitor. 21. n. 30. & 31. ff. de judic.* Ad hoc autem requiritur, quod confessio sit simplex; si enim quis debitum confiteatur cum aliquâ contradictione, vel negatione, aut conditione, tunc inducitur litis contestatio, & debet sequi sententia condemnatoria, non autem de

præcepto; & consequenter decima debetur in Cancellaria: *Gonçalv. da Silva* (nostri temporis eximus Advocatus) *ad Ord. lib. 3. tit. 66. §. 9. n. 10.* Et ratio ulterior est, quia ex vi illius contradictionis, conditionis, aut negationis ulterior procedit disputatio, ut debitum verificetur; confitens enim negat conditionem: unde si convincatur, jam militat malitia, & sententiâ requiritur.

Si sententia, quæ data fuit, postea annulletur, etiam decima non debetur, ut expressè cævetur in ipsâ regulâ Cancellariæ 20. de quâ *Thom. Vaz alleg. 87.* neque nullum quod est, effectum aliquem producere potest, ut sunt jura vulgaria. His exceptis, de facto videmus litigatores solvere decimam ex quacumque sententiâ, quâ fuerunt condemnati, atque ita præcipitur in *d. reg. 20.* & ut solvant, quamvis sententia medio gravaminis revocetur; solùm enim in his terminis potest reperire à parte viatrice in primâ instantiâ. Ita conductores Regii procedunt contra partes, ac unanimiter in his amplissimis (revocatâ tamen sententiâ non solvunt, & deficit observantia regulæ 20.) civitatibus aspicimus observatum; & ab hac recedendum non est, donec Rex aliud declaraverit, neque aliud intendo. Sequentia referre autem placet ut veritas elucescat.

Ego itaque, ut mentem meam proferam, nunquam potui intelligere, neque æternū intelligam, quomodo compati possit, quod ex quacumque sententiâ debeatur decima! Si enim ego causam defendi probabiliter; & quia pro meâ parte adstare opinionem probabilem boni Advocati clambant, ad quid decima? Quæstiones juris sunt plurimæ adeo incertæ,

tæ, ut Authores in diversas scindantur sententias: Si ergo ego plurimos pro meā parte comperio, cur desistam? Et quoties contin-
git, quòd in eadem causā, quā quis succumbit, attamen pro se habet vota plurima egregiorum Se-
natorum? In similibus ergo even-
tibus, quamvis indistincte litiga-
tores solvere decimam comperi-
mus, res altius explicanda est, ne-
que hæc materia est parvi ponde-
ris; sed multūm gravis, & peri-
culosa. Video etiam, quòd cùm prædicta Lex jubeat solvere deci-
mam, quamvis sententia medio gravaminis revocetur, speratur tamen hic eventus, & si revocata fuit, tunc non solvitur: hoc est contra Legem, ut jam dixi.

5 Et ut pro re, moris ut est nostri, pauca loquar; pro comperto habeo, decimam prædictam esse poenam impositam temere litigantibus; & de hoc nullus dubitat; atqui ille, qui litigat fundatus in probabili sententiâ, temerè non litigat; ut ex se patet: ergo in tali casu non debetur decima. Hoc argumentum est infallibile, ad quod nulla condigna responsio dari potest, ni fallor. Ad legislato-rem igitur, authore *Platone*, hoc principaliter spectat, ac in id unicè incumbere opportet, redigere nempe civitatem quasi ad unitatem, hoc est, ad concordiam, & unanimitatem: Itaque cùm nulla sit res, quæ concordiam, & ci-vium consensum magis turbet, quām litium multitudo, & frequentia, danda opera est, non tantūm ut causæ litium præcidantur, sed ut lites exortæ confessim dirimantur, & ob hoc etiam Regem suum monuit *Isocrates*: Hinc in lib. 4. *Instit.* tit. 16. agitur de poenâ temere litigantium; temeritatem enim talem poenâ pecunia-riâ legislatores coercent; atque ex

hoc titulo, & principio provenit jus, quo decimæ petuntur, neque enim aliâ de causâ peti pos-sunt.

Quamvis ergo injustæ lites 6 præcidi debeant, non ita justæ; neque impediri possum, ut me defendam, quando Advocati timo-
ratæ conscientiæ ita suadent; alias enim illico cogar dare pallium meum injustè petenti, quod quis ferat? Fingamus casum quotidiani-
um. Decedit Petrus, qui me ins-
tituit hæredem: ecce ad me cur-
rit Paulus, dicendo quòd creditor illi erat in tali quantitate, v. g. Pe-
trus debebat centum mille regalia,
de quo tamen nulla scripture de-
monstratur. Solves tu illico hæres in his terminis? Minimè. Speran-
dum enim est, quòd debitum pro-
betur, alias prudenter non facis.
Ecce das contestationem, post
quam creditor debitum plenè pro-
bavit, & tu, quia vidisti credidisti;
& forsitan probatum per testes,
qui falsò jurarunt. Debetur deci-
ma in hoc casu? Crederem ego non deberi; neque enim tu in tali casu poteras infallibiliter habere notitiam de facto alieno defuncti;
neque etiam credere creditori co-
gebaris: unde, cessante malitiâ,
& fraude, semper crederem non deberi decimam; cessat enim cau-
sa primaria, virtute cuius solùm decima peti potest, & non ex alio motivo. Neque decima debetur ex eo solùm, quod quis viētus sit, plerumque enim cadit a causâ, qui multis juribus, & DD. pro fe potitur; immo qui etiam vota Senatorum habet pro suâ parte;
& de hoc non dicam temerè litiga-re; alias enim temerè illos Sena-tores pronuntiasse fatear, quod ne-
mini dicere licet. Cur ergo, con-
ductores, in tali casu quæritis decimam a justis litigatoribus, aut quo jure? Cur ad hos, & similes casus

casus adaptantur regulæ Cancellariæ, & Leges? Quæ ut justæ sint, videtur quod in hoc sensu intelligi debent; neque enim Lex justa dari potest, quæ me cogat ad solven dam decimam, quando temerè non litigavi, sed prudenter egi, & meâ probabilitate contendi; tolleret enim talis Lex defensionem naturalem, quæ nullatenus auferri potest. Et quamvis injustæ lites sint exterminandæ, non ita justæ defensiones, & contentiones. Quapropter indubitanter affirmarem decimam nullatenus deberi, quādo quis prudenter se defendit suâ opinione probabili fundatus; neque in tali sensu legislatores intelligi possunt; quamvis enim dicant ex omni sententiâ decimam deberi, semper tamen supponendi sunt termini habiles, atque injusta defensio, & illa temeritas, quæ poenæ est unicum fundamentum, ac ita tunc consului. Tu tamen a practicâ non recedas, donec veniat declaratio. Et notabis hanc esse necessariam, quia non videmus in aliis plenè observatam *d. regulam* 20. si enim sententia revocatur, tollitur vulgo *verba*, & dum lis pendet in Senatu, executio decimæ suspenditur; & hæc observantia est contra Legem.

⁷ Hinc descendit, quod de jure cōmuni talis poena etiam imponebatur agentibus, & non solum reis; ut ex *Auth. de litigios. & de decimâ parte litis*, §. *Ad excludendas coll. 8. glos. in d. §. Hæc autem* notat *Cabed. p. 1. d. 16. n. 2.* Et ibi affirmat, quod contra de jure nostri Regni solum Rei condemnati solvant predictam decimam, & hoc probat *ex regulâ 6. E as ditas dizimas pagarão as partes, que condemnadas forem, assim das custas, como das penas, se julgadas forem, e bem assim do principal.* Ego autem dico ex hac re-

gulâ, & ex istis verbis, quæ ponderat Cabed. non sequi intentum, quia actor etiam plerumque condemnatur, & in dupla respectu expensarum, quia malitiosa litem movit; & illa temeritas; quæ dat decimis fundamentum, tantum stare potest ex parte agentis, quād ex parte Rei; uni enim, & alteri multoties summâ temeritate litigant; & non minus præjudiciale est Reipublicæ, quod quis causam agat injustam, quād quis injuste se defendat, datur enim eadem ratio tumultus, & discordia, & ubi eadem ratio, militat eadem dispositio de jure: Immo ego maiorem, & satis superabundantem malitiam considero in eo, qui alium sine causâ lacebit ad judicium; hic enim in culpâ gravissimâ est, ac censetur causa multarum expensarum, & quod magis est, sine commodo ex parte suâ, quod sanè mille decimis dignum erat. Qui verò injuste se defendit, licet semper male agat, & bene noscam hoc nullatenus cohonestari posse; attamen aliquando ita operatur, quia solvere non potest, & timet imminentem executionem, quod aliquâ commiseratione dignum est; non tamen ut a decimâ excuset, quod fatemur. Igitur bonum foret, quod in Regno solverent decimam utrique litigantes, vel essent Rei, vel autores, dummodo tamen verificent temeritas, hocque numero satiis amplio potirentur condictores decimarum, non enim desunt hodie homines, qui quotidie summâ temeritate in judiciis sunt, multis adstantibus patronis; suos enim omnis habet malitia, & semper mali inveniunt protectores: Quod verò partes, quæ non temere litigarunt, solvant decimam, non videtur consentaneum; & hoc dico instar arguentis. Quicunque hæc legerit

legerit, ponat in se casum, & se supponat provocatum ad judiciū; cùm tamen videat pro suâ parte adstare Doctores: Potestne defendi in conscientiâ? Quis neget? Immo multoties in conscientiâ tenetur ad hoc, scilicet, ut se defendat; alias enim imprudens erit, & malus administrator bonorum, quæ conservare debet, ut uxorem, filios, servosque alat; & plurima incommoda sequentur, si homines in limine litium semper desistenter, quæ quidem sua sydera habent. Et quot sententiæ postea fuerunt judicatae injustæ per medium revisionis, ex quibus antea decima fuerat soluta? Tu tamen non recedas a practicâ, dum aliud non declaratur; res enim judicata pro veritate habetur: ideo vietus intelligitur litigare contra veritatem; & qui veritatem impugnavit decimam solvat, & sic defenditur Lex.

8 Instabis: Hæc decimæ poena solum habet locum in calumniatoribus: calumniator autem non est, qui prudenter litigat, sed qui temerè, vel sit Reus, sive actor: Et quamvis dicat *Cabedo*, quod decima est jus quoddam debitum Regi, prolatâ sententiâ; hoc altius explicari debet, & absolute ita intelligi non potest: Audi, & hoc instar arguentis.

9 Itaque ex sententiis datis nullum jus sequitur ad petendam decimam propriè; sed ex facto antecedenti illius litigatoris, qui temerè litigavit; si enim absolute uterque contendit opinionibus bonis fundatus, non deberi decimam autemamus. Neque enim decima est imposta ut tributum, quod Regi solvit ex aliquâ necessitate, vel causâ requisitâ, & quæ, ut imponatur, præcisè supponitur. Sed est quædam poena justissimè imposta litigatoribus,

& quæ ipse Rex sibi optimè applicavit: unde tributum non est poena; sed libenter illud vassali omnes solvere debent, nullo alio ipsorum facto mediante: Decima autem est poena, & solum habet locum, mediante injusto litigatoris facto: contendere autem opinione probabili non est factum injustum, aut temerarium; unde non est extendenda decima ad hunc casum; neque enim Regi potest competere jus in simili eventu, nec sua Lex ad hunc casum adaptari; cùm Leges justæ sint supponendæ, & non potest esse justa Lex, quæ prudenti facto poenam imponat, aut prohibeat me contendere meis opinionibus edictum; Reges enim prudentissimi quique non afficiunt supplicio prudentiam, sed temeritatem, neque intentant tollere defensionem cuiusque: Unde licet præcipiant regulæ solvere decimam ex sententiis prolatis in iudiciis assignatis, hoc intelligitur, dummodo calumnia, & temeritas præcedat: Si autem quis dicat ex hoc minui patrimonium Regium, Reges habemus locupletes non solum divitiis temporalibus, sed virtutibus. Neque ipsi volunt conductores locupletari cum injuriâ tertii, & sic acerrimè aliquis negabit decimam deberi, nisi præcedente litigatore temerario ante sententiam, quam quidem sententiam intelligimus debere confirmare illam temeritatem condemnando litigatorem secundum malitiam in formâ *Legis lib. 3. tit. 67.* §. 1.

His tamen, & aliis non obstantibus, licet adeo clara videantur, vel propositio initio consultationis posita est declaranda, vel illius restrictio non admittenda, si absolute intelligatur; debemus enim sequi Legem, juxta quam con-

condemnati solvere decimam debent; nos enim non possumus judicare de Lege, sed secundum Legem. Ille ergo, qui victus fuit, habet contra se præsumptionem malitiæ; & cum res judicata pro veritate habeatur, censendum est de reis, quasi veritatem impugnarent, in quo facto stat temeritas; itaque potest negari suppositum, quod quis sit victus sine aliquâ temeritate, quæ in illo litigatore consideretur. Si vero aliter propositio intelligatur, quamvis de alio jure loquendo vera sit, apud nos sustineri non potest dicta restrictio, ne offendamus Legem, quam solus Princeps restringere, & declarare potest; itaque fundamenta proposita solum hoc operari possunt, quibus non intendimus dare certitudinem; mens enim nostra falli potest. Quod vero talis intelligentia proponatur, in crimen nostrum vertendum non est; non defunt enim plurimi sanæ doctrinæ viri, qui regulas decimarum declaratione indigere clament, & hoc patet ex diversitate, quâ in hac materia decimæ Senatus judicant, & intelligunt regulam 20. ut videre est apud *Thom. Val. ad dictam reg. alleg. 87. n. 12. & 13.* Et ego cum de hoc habeam magnum exercitium, & sim assalaria-tus pro uno conductorre ex multis annis, vidi semper procedere contra viatos, quorum plurimi decimam non solvunt, & hoc toties quoties sententia revocatur, cum tamen Lex aliud disponat, & ut solvatur, quamvis revocata sit, concedendo solum parti viæ in primâ instantiâ, ut ab aliâ repeatat, quod quidem nemo videt, neque est practicatum tale; & sic conductores mille decimis privati manent; solum etenim eis solvuntur, quando primæ sententiæ condemnatoriæ fuerunt postea in

Senatu confirmatæ; & si revocatæ, tunc exoneratur decima, vulgo *verba se descarrega*. Et dum pendet gravamen, executio decimæ suspenditur non solum per sex menses, sed per annos, ut quotidie video; in quo deficit Legis observantia; si enim observaretur, nulla esset sententia in judiciis decimarum, quæ conductoribus non daret lucrum, ut per se patet. Datur etiam *Extravagans*, quam adducit *Paiva, e Pona in fine suæ Prætice*, ut Authores vieti solvant decimam; quod tamen quis vidi observatum? Certum tamen est Authores suam plerumque habere malitiam. Sed quid ad me? Dico declarationes esse præcisæ in Regis utilitatem, & viatos solvere interea decimam sine distinctione; quia sententia præsumitur veritas, victus in temeritate, & ubi Lex non distinguit, nos non debemus.

CONSULTATIO VIII.

Protomedicus non potest facto Summario procedere ad mandatum capturæ contra illos, qui cum Medici non sint, se arti medicinæ immiscent: Hæc potestas non deducitur ex regimine: Medici facere possunt medicamenta, & illa inventare; quin contra illos procedi possit, quamvis vendant, ut pharmacopœa.

IN judicio Archiatri, sive Protomedici Viri nobilissimi sæpe ego in plurimis causis advocavi. Finis istius Judicij est punire insolentes illos homines, qui cum graduati non sint in medicinâ, & ad curandas infirmitates approbati, audent tamen sese arti, ac scientiæ difficiili immiscere. Et in hoc cognovimus Lusitanorum Regum

gum pietatem, atque eximiam illum clementiam, notumque amorem, quo subditos diligunt suos, ne intempestiva eos rapiat libitina, cum Lusitani æternum vivere digni.

² Quamvis autem de utilitate iudicii non dubitemus, nunquam tamen potui intelligere, quomodo, facto Summario, Rei pronuntiantur ad vincula? Viso enim regimine, talis non datur porestas; neque conceditur talis modus procedendi. Immo plurima incommoda sequuntur ex illo; namque Rei pronuntiati habentes plerumque notitiam, & sic in remotis terris habitantes, ne veniant ad Curiam, & petant securitates, atque cum illis se præsentent, malunt stare pro culpâ, & solvere decantatas vulgo *dobras de banda*; cum enim ex duabus malis minus sit eligendum, potius hoc dare coguntur, quam altiores facere expensas, & subire itinera, periculaque alia: Et sic datur ansa inimicis suis, ut falsis testibus aliquando audeant denunciare, quod saepe vidimus: Si autem hic modus procedendi cessaret, Rei se defenderent per procuratores, & unicuique suum tribueretur. Cum ergo ad me quidam rusticus accederet, & ejus mulier, quæ sinum lachrymis implevit obortis, & à me peteret, quomodo sibi providendum foret, dixi ego: *Non est meum remedium dare vobis.* Horribilem autem verè fœminam monui, ut à medicinâ abstineret; vel enim truci visu, oculisque retortis interficere poterat, neque ista Venus medicans:

Hoc Venus obscuro faciem circumdata nimbo.

Detulit, hoc fusum labris splendentibus annem

Inficit, occultè medicans, spargitque salubris.

Ambrosiæ succos, & odoriferam panaceam.

Utrum autem Medicus possit facere medicamenta privatim in domo, atque illa vendere? Et an isto casu immunis maneat à Protomedico? Vidi ego allegationem auream Josephi Moreni Bravo, qui patrem suum defendebat, & quâ affirmativam sententiam probabat, tum ex usu Medicorum in omnibus mundi glagis, atque florentibus Academiis; tum quia Medicus est compositor cujuscumque remedii, habetque scientiam pharmacopœiae. Ille autem Advocatus pro patre Medico viriliter pugnans hoc adeo copiosis authoritatibus demonstrabat, quod mihi maneat alienum; & solum ista Consultatio instanter petit, quod illam allegationem in lucem proferat; quâ edocti affirmativè cuicumque postea respondemus.

CONSULTATIO IX.

In facto sequenti n. 1. materiam habes, immo & decisionem in hac consultatione invenies.

Quidam Heros hujus civitatis scripturam celebravit, & posuit clausulam hoc pacto: *Toma quinze mil cruzados a juro da maõ delle F. a cinco por cento, e lhe consigna tal juro para os ditos reditos; e o que sobejar do dito juro, ficará na maõ delle créдор em deposito até a quantia de quatro mil cruzados, os quaes completos abaterá o principal, e consequentemente então diminuirão os juros; e todas as vezes que a elle créдор quizerem dar semelhante quantia de quatro mil cruzados, será obrigado a aceitalla em pagamento.* Quæsitum fuit: Utrum hic contractus foret usurarius?

Oo

Plu-

2. Plurimi usurarium esse clamarunt: Namque fructus excedentes rationem ejus, quod interest, eo ipso minuant, & extenuant forte, ut bene Leotard. de Usur. q. 98. n. 52. neque contra hoc potest obstat aliqua conventio tacita, vel expressa; nulla enim in tali eventu tollit usuræ labem; text. in L. 1. & 2. Cod. de pignorat. act. text. in L. 1. Cod. de distract. pignor. tradit Neguz. de Pignor. 5. p. membro 5. n. 1. Molin. de Just. & jur. tract. 2. disp. 320. per tot. Nec in hac materiâ datur præscriptio ex text. in L. Titia 46. ff. de solut. notat idem Leotard. supra q. 12. n. 10. cessat enim bona fides adeo necessaria terminis præscribendi tam in jure Pontificio, ex cap. fin. de Præscript. quam in jure Civili: L. unic. §. Fructus Cod. de usucap. transform. & ex toto tit. Cod. de long. temp. præscript. Castill. lib. 3. contrav. cap. 23. n. 72. cum pluribus seqq.

3. Et quod creditor omnes fructus, quos percipit, debeat computare in sorte principali, ita ut ex contrario oriatur usura, probatur ex jure Canonico, ex text. in cap. 1. de Usur. in cap. 2. eod. tit. in cap. Conquæstus de usur. in cap. Cum contra, in cap. Significante de pignorib. & in cap. Ad nostr. 1. de jure jurand. De jure autem Lusitano probatur ex Ord. in 4. tit. 67. §. 1. & de jure Civili ex juribus, cum quibus Barbos. in Collect. cap. 20. de Usur. & cap. 1. eod. tit. Non potest autem dubitari, quod ex pecuniâ redundant fructus civiles; glos. in L. fin. verbo Rex Civiles Cod. de petit. honor. sublat. lib. 1. hos enim fructus quælibet persona percipit ex re suâ utili, licet non fructitera, juris dispositione sibi assistente: L. Si navis 62. ff. de reivendicat. L. Ancillar.

30. in fin. ff. de petit. hæred. Gallus de Fruct. disp. 2. n. 12. Lagun. de Fruct. p. 1. cap. 3. n. 26.

Pro hac parte vidimus judicatum, contendente Comite do Afsumar DD. Petro de Almeida cum Dominico da Costa Mendez, scribâ Emmanuel Ludovico de Carvalho anno 1734. reformatâ Prætoris sententia, repugnantibus tamen Amplissimis Senatoribus Paulo Josepho Correa, & Benedicto Coelho de Sousa; & primi votum elegans, aureum, & juridicum hîc ponam: *Conventio fol. & fol. non est usuraria, nec ex se, nec ex circumstantiis: non ex se; continet enim mandatum debitoris ad accipiendam pecuniam sibi debitam ad solutionem creditoris, cui residiui custodiam commendat ad terminos text. in L. Depositum 1. §. Idem Pompon. 13. ff. depos. Colleg. Arg. ad eund. tit. thes. 6. n. 7. Nec ex circumstantiis; nulla enim fraus, aut fœnus sub specie prædictæ conventionis habita probatur ad doctrinam text. in L. Siquis 4. in princ. ff. de rebus credit. ubi Faber in Ration. Corvin. ad tit. Cod. de pignor. act. Cum alias non præsumatur usura, & concludenter probari debeat: Leotard. de Usur. q. 9. n. 1. 2. 5. 31. & passim Nec aliud suadet vulgaris regula text. in cap. 1. de Usur. cum aliis longâ serie relatis ex fol. secundum quam omne illud, quod excedit lucrum permisum, usuram sapit, nec ullâ conventione in contrarium celari valet; hæc enim bene procedunt in suo casu, nempe in conventione de lucrandis fructibus, aliis pacto Antechreseos, ut ex iisdem juribus, & DD. allegatis patet, minimè verò in præsentiarum, quia cum creditor residuum interessè permitti, & conventi non lucretur, sed custodiat de mandato debitoris, ad hoc ut in*

in sortem imputet, quando ad quantitatem conventam perveniret, ut liquet d. fol. quod quantum à conventione, de quā in regulā text. in d. cap. i. distat, in liquido est.

5 Similiter non militat in proposito alia regula, secundūm quam fructus ex pignore percepti, illico ipso jure extenuant sortem, de quā Bersan. de Compens. q. 18. maximē, quando fructus in pecunia consistunt, ut in præsentiarum, ad ea, quæ Leotard. de Usur. q. 11. n. 41. Quoniam regula illa locum tunc sibi vendicat, quando creditor jure creditoris fructus pignoris accipit, in quo sensu jura, & DD. loquuntur; minime verò, quando creditor fructus accipit tanquam mandatarius debitoris, ut eos custodiat, usque dum conventa summa exæquetur in sortis imputationem, prout in præsentiarum, quo in casu jure creditoris non utitur; proindeque cessat prædicta regula, & intrat alia text. in L. Tutor. 41. §. Lucius 1. ff. de usur. cum aliis, de quibus Colleg. Arg. d. 46. tit. 3. thes. 11. n. 6. Rectè ergo non usuraria pronuntiata fuit conventio in sententiā fol. &c. Hæc fuerat à Prætore Emmanuel da Costa de Amorim (sed per alios revocata) prius data.

6 Advocatus Emmanuel Lopes Bicudo pro hac secundâ opinione viriliter pugnabat, & dicebat, quod debitor non liberatur, nisi

omni quantitate debitâ depositâ: text. in L. Tutor. 11. §. Lucius Titius Cod. de usur. & quod creditor non cogitur aliter ad recipiendum, & pro partibus: L. Accept. 19. Cod. de usur. L. Qui pignor. 19. ff. de pignor. L. Si rem alien. 9. §. Omnis pecunia 3. ff. de pignor. rat. act. Unde cùm creditor aliter recipere non vellet, depositum illud non constituit eum Dominum, nisi post completam illam quantitatem, de quā in facto quæstionis. Cùm ergò ego has ante oculos quasi haberem resolutiones, interrogatus de simili, respondi tamen tales contractus esse usurarios; nam ut verbis utamur Cujacii ad text. in L. Lucius 24. ff. deposit. quæ transcribit Leotard. de Usur. q. 32. n. 16. non est propriè depositum, si pecuniae depositæ fœnus accipiatur; licet contrahentes appellaverint depositum; rem, enim spectamus, non verba. Unde iusta fuit Senatūs sententia, alias enim simili pacto admisso, grandis usurariis via aperitur & in re adeo gravi omnis occasio evitari debet; & ita consului cùm jam notitiam haberem decisiōnis relatæ; vidi enim processum curiositate motus; unde nihil de meo Marte in hac consultatione studioso profero lectori qui forsitan magis alienis gaudebit, & doctè quidem.

An. 1. usque ad 6. lege, & perlege; ad quod carebis Summario.

E P I S T O L A
HIERONYMI SYLVII
 DE ARAUJO,
CUIDAM AMICO SUO,

De Advocati munere optimè exercendo.

Legisti, Domine, quod scriptum est in libr. Eccl. c. 40. i. *Occupatio magna creata est hominibus, & jugum grave super filios Adam.* De nostrâ ego occupatione certificatus, ad illam prædicta verba sâpe adaptavi. Quid enim? Furor, zelus, tumultus, fluctuatio, iracundia, timor mortis, & quidquid mali est, Advocatum urget; itaut prudentissimus ille sit, qui tantis hostibus non succumbat. Videbis injusticias quotidie, & innumerabilia mala sub Cœlo: impium exaltatum, bonos autem oppressos, quin resistere possis violentiæ: si loqueris contra potentes, & eximios illos viros, qui solum antiquâ lætantur origine, propriâ virtute carentes, quæ damna non imminent? Tu autem cupias semper defendere humiles, & abjectos, si istis potior sit ratio; neque enim Advocato ulli chari debent esse clientes, nisi illi, qui justitiâ litigant favente; nec de illâ potentiatâ curandum est; quia omnia, quæ de terrâ sunt, in terram pariter convertentur. Munus omne, atque iniquitas delebitur; fides autem in sâculum stabit: Ergo ut rite, rectèque hoc munere utaris, ante oculos habe Christi imaginem, qui justissimus, & pruden-

tissimus Advocatorum fuit, ut *Luc. c. 2. 47. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant super prudentiam, & responsis ejus.* Quæ autem responsa Christi? Legge Divinam Scripturam quotidie, atque iterum perlege, quâ sine non bonus poteris esse Patronus; immo vana est omnis scientia, quæ in illâ sua non ponit fundamenta; vanusque, & turpis sanè causidicus, qui tantis non utitur documentis. Prima nobis Ordinatio, charissime sodalis, sit sacra Pagina, quâ sine nil in hac juris arte proficere valemus; cum etenim scientia juris in Cœlo habeat radicem; sitque Sanctissima Trinitas, & origo, & fons totius sapientiæ, qui non credat, & cogitat, littus arbitratur ignarus Jurisconsultus: In tanto ergo Nominis, & ad maiorem Dei gloriam, munus hoc nostrum, quæsto, capessas; sciens optimè, quod sine Deo, ejusque ardentiissimo amore nil laudabile in terris, immo omnia vana esse. Regina Advocatorum Sanctissima Deipara etiam tibi perpetuâ devotione colenda, ut pote quam decoloravit justitiæ Sol sine labe originalis peccati conceptam.

Deinde Sanctorum Advocatorum ope, ac validissimo fretus auxilio, muneri operam impende;

beato-

beatorum enim favor nimis juvat,
ac ad hoc certamen literarium op-
timè conducit: Favorem si talem
consequeris,

*Pleno subis ostia velo.
Perge modò, & quâ te dicit
via, dirige gressum.*

Si tantis Patronis Patronus de-
scendas in arenam, quamvis non
omnino ampli ingenii Vir (lo-
quenti credas) causam tuam op-
timè defendes, centimanosque su-
perabis Briareos. Eia age

*Nemox aut Laurentes, nocte,
superbos;
Aut acrem dubites in prælia
poscere Turnum.*

Non tamen adeò fidas supradi-
ctis, ut librorum lectionem despi-
cias, quasi per miraculum profi-
cere velis; hoc quia manifestè es-
set tentare Deum, & scientiam
petere infusam. Diligentia est ma-
ter omnium artium; ideo associa-
tus voluminibus quotidie à radice
evellas quæstiones; precipuè illas,
de quibus orationem, aut allega-
tionem dare contingit; neque enim
facias, quin prius studeas, opi-
nionesque examines; & si non
omnino percipias, alios petas;
plurimi enim sunt, qui facilius ex-
plicant, ac non omnibus idein
placet liber, vel prodesse potest.
*Quid vis dicam? Fragilis anne
cimba vaustum fulcabit oceanum?
Ac ut aliud dixit:*

*Non omnibus idem est,
Colligit hic spinas, colligit ille
rosas.*

Tuâ scientiâ esse elatus maxi-
mum tibi periculum, præcipuè
dum plaudentes agnoscis turbas,
quarum mortiferos cantus, sirena-
rum veluti, surdâ debes aure tran-
sire. Quanti hodie putant (ut
cum Divo Hieronymo loquar)
se nosse literas; & tenent signa-
tum librum, nec aperire possunt,
nisi ille referaverit, qui habet cla-

vem David? Puerile quidem hoc,
nec hoc quidem scire, quod ne-
scias! Sine æternâ veritate tua sa-
pientia est ignorantia; qui autem
ipsam veritatem cognoscit, hic
perfectè scit; & infelix Advoca-
tus, ac nimis ignarus, qui verita-
te caret! Numquid Daniel fuit
Advocatus? Certè, ut constat
*Dan. c. 13. 48. Sic fatui, filii Is-
rael, non judicantes, neque quod
verum est cognoscentes, condem-
nasti filiam Israel?* Revertimini
ad judicium; quia falsum testi-
monium locuti sunt adversus eam.
En sententiæ revisio à Prophetâ
petita, testesque contestati; quâ
quidem allegatione fuit liberata
Susanna. O veritas Advocati!
O virtus Prophetæ, qui sic ait,
*ubi supra vers. 55. Rectè menti-
tus es in caput tuum!* Non ele-
gantiis, aut verborum involucris,
longisve ambagibus detecta fuit in-
nocentia Susannæ, sed paucis ver-
bis; ut scias vitare verborum mul-
titudinem inutiliter luxuriantem;
paucis est enim contenta veritas;
& ut aperiatur, paucis eget admini-
culis.

Alios Advocatos summâ debes
prosequi veneratione, præcipuè
autem illos, qui scientiâ fulgent,
ingenio micant, ac honestate præ-
ditos agnoscis; ab hisque debes
accipere documenta, ab ipsisque
quandoque doceri; cùm enim in
re quisque suâ sæpe fallatur; tua-
que res reputetur clientis quodlibet
negotium; mature procedere
dico, si interroges; neque enim
qui respondet mihi sapientior est;
sed qui plerumque interrogat desi-
derio acquirendi veritatem, in
quam, veluti in ultimum finem,
prospicere ubique attendas, ac
summis viribus intendas. Quot
Advocati sibi derelicti, ac suâ du-
cti præsumptione cauñas perdunt,
& sic adversariis inglorii palmam
cedunt,

cedunt, atque triumphum, malentes ita potius sua impudenter ingerere, quam aliena verecundè discere? Sapiens, mihi crede, semper invenit quod discat, ubique proficit, & se melior fit. Legisti ardore sapientiae plures Magistros plurimas lustrasse Provincias? Pythagoras ad Memphiticos cucurrit Vates, Plato in Ægyptū, atque Architam Tarentinum, eamque Italiam oram, quæ olim magna Græcia dicebatur. Laboriosissimè regiones peragravit, ut qui Athenis magister erat, & potens, cujusque doctrinam Academiac Gymnasia personabant, fieret peregrinus, atque discipulus. Cur ergo, Tu Advocate, recuses interrogando fieri quandoque Discipulus, & aliorum Patronorum ad discendum adire penetralia? Docti sœpe stellis comparantur. Quid ergo? Stellas nonne aspicis errantes? Quandoque bonus dormitat Homerus: turpiter autem te ingenio succumbere credam non quærerentem alios, ut proficias, vel Apostoli exemplo, qui cùm vas electionis, & præceptor esset, & in quo Christus loquebatur, ut ipse ait 1. ad Corinth. 13. *An experientum quæritis ejus, qui in me loquitur Christus?* Attamen post Damascum, Arabiamque lustratam, ad Jerosolymam ascendit, ut beatum Petrum videret, quocum mansit diebus quindecim. Liceat nobis uti exemplis adeo magnis, ut multorum vanitas confundatur, qui adeo eloquentiae suæ fidunt. Magis tamen plurimi docent, dum prudenter interrogant. Vide Proverb. c. 19. vers. 27. *Non cesses, fili, audire doctrinam.*

Inimiciæ aliorum Advocatorum à Te omnino sunt vitandæ; & in Domino omnes amare debes indistinctè: Prædictæ autem evitantur controversiæ, si abstineas

a verborum involucris, quæ nos vulgò dicimus *Cottas*, ad quæ semper deficiat calamus; veneno quoniam scribit, qui contra alios prorumpit in processu. Quòd hic, vel ille Advocatus sit, vel non sit pinguis Minervæ, quid ad Te? Væ illis, qui ipsos finunt suâ rapacitate ruentes, & in perniciem Reipublicæ destinatos? Responde ergo alienis allegationibus benignè; ut enim Proverb. c. 15. vers. 1. *Responsio mollis frangit iram: sermo durus suscitat furorem:* Et ubi vers. 2. *Lingua sapientium ornat scientiam: os fatuorum ebullit stultitiam.* Et vers. 4. *Lingua placabilis lignum vitæ, quæ autem immoderata est, conteret spiritum.* Et ut dicitur Proverb. c. 17. vers. 27. *Qui moderatur sermones suos, doctus, & prudens est.*

Pauperes humanissimè recipe, proque illis patrocinium nullatenus recuses; melius est enim pro ipsis intercedere, & sic divinos comparabis thesauros. Legisti jam apud Matthæum c. 18. vers. 5. *Et qui suscepit unum parvulum talem in nomine meo, me suscipit.* Qualis Tibi hæc gloria? Quantum decus? Parvuli sunt etiam illi, qui à potentibus, & Viris grandibus in judicio sunt vexati; quos si tu in gremium accipias, & protegas, magnum consequeris emolummentum; & si non facias ita, expedit tibi, ut suspendatur in collo tuo asinaria mola, quam demergeris in profundum. Magis es honoratus, dum unum ex ipsis parvulis defendis, quam dum centum Marchiones, aut Comites calamo extollis. Vis differentiam? Accipe. Quid dabunt magnates, nisi parva, & terrena? Aurum, & argentum, quæ sunt de limo terræ? Pro parvulis autem Christus solvet: Hæc verò præmia sumquam moritura.

In

In dandis laudibus (væ mihi!) sis quandoque mediocris; neque enim omnes Advocatos peritissimos appelles, neque cunctos Judices egregios, aut justos. Ut enim Proverb. c.26. vers. 8. *Sicut qui mittit lapidem in aceruum Mercurii: ita qui tribuit insipienti honorem.* Et vers. 18. *Sicut noxius est qui mittit sagittas, & lanceas in mortem, ita Vir, qui fraudulenter nocet amico suo.* Nulla autem fraus terribilior inventari potest, quam illa, quâcum stulti, & insipientes tolluntur ad astra: laude indiscretâ, & indebitâ, ignorantium quisque.

Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.

Quid autem vis dicam de libris, ac Bibliothecâ Advocati? Si amplissimam ostendas, doctissimus reputaberis, quasi pecuniâ scientia comparetur; & idem sit libros habere, atque omnes intelligere. Sic multi nostro munere noti sunt, & decantati Patroni; crescente enim in dies luxu, usque ad ingenia pervolavit, ne quid relinqueret intactum. Neque solum hoc; felices etiam libellos debent felicia ornare instrumenta: titulus minio, & cedro charta notabitur: inculti enim quique nostros non decent Advocatos. O grandis temporum injuria! O sæculi nefas! Tantum sibi facinus arrogavit stultorum pecunia, ut qui illâ careret, insipiens, vel ideo judicaretur. Fatemur libros esse suplecentilem pretiosam; paucos vero quotidie evolvere bono omne utilius censemus. Et, ut aureis Tibi satisfaciam verbis, sententiam *Divi Hieronymi* demonstrabo, qui in præfatione ad librum *Job* sic ait: *Habeant qui volunt veteres libros, vel in membranis purpureis auro, argentoque descriptos, vel uncialibus, ut vulgo*

aiunt, literis onera magis exarata, quam codices: dummodo mihi, meisque permittant pauperes habere schedulas, & non tam pulchros codices, quam emendatos. Hæc vera sunt, ac tu hoc utere consilio. Alii novitate moti antiquos laniuut; & adhuc authoribus Lusitanis parùm contenti, sonare lætantur nomina peregrina, forsitan ut peregrini ingenij ostendant aciem. Lusitanorum hoc vitium est, qui cum rebus fruantur propriis, alienas magis appetunt; & sic etiam puerilitas hæc dum obruit ingenia, idem de istis judicantes, ac de vestibus.

Quoniam verò de cultu sermo est, opportet te esse modestum, & gravem, ita ut mulieribus ornamentis nullatenus declines a Viro. Quidquid tamen de vestibus dicam, infallibiliter eris crinitus Jopas; si enim crines vicia significant, cum ex superfluis gignantur, ostentat forsitan cæsaries Advocatorum superfluitates. Temperamento utere, delectuque, & si nimio pulvere; memento, Advocate, quod pulvis es, & in pulverem pariter reverteris. Sic credo.

Pulvere vestra manus violabit dona Minervæ.

Patientia Advocatis hodie in summo gradu necessaria est. Quod Medicorum est, promittunt Medici, tractant fabrilia fabri: sola juris ars est, quam sibi passim omnes vendicant: *Scribimus indocti, doctique poemata passim:* Hanc garrula anus in plateis, hanc delirus senex, hanc verbosus sophista, hanc tonsores præcipue, eximiique rabulæ in audientiis profitentur, lacerant, & præsumunt; & ut uno proferam verbo, omnes docent, antequam discant. Quid mireris? Apertus hic campus, ut de campo aperto legas? Stupenda hæc.